ALOYSII COLLA ILLUSTRATIONES ET ICONES RARIORUM STIRPIUM QUÆ IN EJUS HORTO RIPULIS...

Luigi Colla

Digitized by Google

ALOYSII COLLA

ILLUSTRATIONES ET ICONES RARIORUM STIRPIUM
QUÆ IN EJUS HORTO RIPULIS FLOREBANT ANNIS 1827-28,
ADDITA AD *HORTUM RIPULENSEM*
APPENDICE IV.

Digitized by Google

Memorie della R. Accademia delle Scienze di Torino. Tom. XXXV. Pag. 147.

Digitized by Google

ALOYSII COLLA

ILLUSTRATIONES ET ICONES RARIORUM STIRPIUM
QUÆ IN EJUS HORTO RIPULIS FLOREBANT ANNIS 1827-28,
ADDITA AD *HORTUM RIPULENSEM*
APPENDICE IV.

Lectae die 18 januarii 1829.

CLARISSIMI VIRI

Res ita sunt a natura comparatae, ut homines in dies deficiant, spiritus autem humanus proprio impulsu assidue progrediatur; et jam jam aetatem attingimus, qua vix ac ne vix quidem in scientiis naturalibus substantias organicas praesertim respicientibus aliquid quodammodo detectis addere liceat. Quae pauca igitur mihi exhibenda supersunt non ea sunt quae absolutae novitatis characteres praeseferant: sed hic non sistunt vera botanices arcana; organorum exploratio ac comparatio in stirpibus etsi jam cognitis plus valent ad incrementum rei herbariae, quam ipsissima herbarum detectio: illae contendunt potissimum descriptiones et icones plantarum rariorum Ripulis florentium elapsis annis 1827-28: illae notae, quibus ad appendicem IV locupletandam assiduam operam dedi. Utinam otia nostra aliquod vel minimum amabili scientiae emolumentum afferant! Tum vero humaniter a vobis accepta erunt, uti peracta accepistis.

Digitized by Google

SECTIO I.

Commentarium

Comprehendens illustrationes et icones plantarum rariorum, quae floruerunt in Horto Ripulensi *annis* 1827-28.

I.

ENCALYPTUS PULVERULENTA.

In *append. II ad H. Ripul.* commemoravi *Encalypti* venustissimam speciem nomine *E. cordatae* addito dubitationis signo, et nota in qua nonnullas differentias inter hanc ac plantam meam priusquam floruisset observaveram (*H. Ripul.* app. II. pag. 348, n. 296 et not. 1.) Ditissime floruit februario 1827-28, unde accurato examini fructificationem subjicere potui, plantamque comparare cum caeteris stirpibus ab eximiis *CANDOLLEO* et *SPRENGELIO* nuperrime descriptis, nec non cum illis, quas siccas possideo; inter has laude digna vera *E. cordata LABILL.* ab Auctore ipso *BELLARDIO* nostro, cujus mortem lugemus, communicata, ac ab ejus filio generoso animo cum aliis permultis rarissimis speciminibus nobis largita: licuit ex his enumeratam speciem non ad *E. cordatam*, ceu jam dubitaveram, sed ad *pulverulentam SMITHII* (*Bot. mag. t.* 2087) esse referendam: confusio provenit ex quo haec eadem planta a Cl. *LODDIGESIO* sub nomine *E. cordatae* enumerata fuerit (*Bot. cab. t.* 228.) At phrasibus quibus est insignita (*DC.* Pr. III. p. 221. n. 40. *Spr.* syst. II. p. 501. n. 14.) descriptione ac nova icone supplendum censui, eo magis quod *CANDOLLEUS* illam tantummodo siccam sine flore et fructu vidisse ingenue more suo fateatur.

Digitized by Google

Descriptio.

Frutex in F. 4-6-pedalis et ultra, subcaespitosus. *Radix* lignosa, ramosa, valde fibrosa, brunnea, fibris capillaribus albidis. *Caulis* fruticosus, erectus, laxus, teres, levis, inferne griseus annulis brunneis foliorum casu cinctus, superne glauco-pulverulentus, subramosus. *Rami* oppositi, divaricati, valde laxi. *Folia* decussata, horizontalia, sessilia, semi-amplexicaulia, cordato-orbiculata, integerrima, apice brevissime mucronata, glaberrima, glauco-pulverulenta s. pulvere albida utrinque adspersa, linea tenuissima rubro-marginata, costata, reticulato-venosa, subcucullata, coriacea, diametro pollicari, perennantia (Tab. I. fig. 4.) *Flores* axillares versus apicem ramorum sub-umbellati (fig. 5. 6.) *Pedunculi communes* teretes, 1-lin-longi, incrassati, saepius 3-raro 1-2-flori; *Pedunculus propius* o. *Calix* cupulaeformis, integerrimus ante anthesin operculatus, (fig. 6) pedunculo communi duplo longior, parte inferiori (tubus *DC.*) persistens, superiori s. operculo (limbus *DC.*) circulatim deciduus. *Operculum* simplex, subconicum, nec haemisphaericum uti in prasi *DC.* et *Spr.* (fig. 6.), apice acutum, tubum subaequans. *Petala* o. *Filamenta* numerosissima, libera, versus apicem tubi calycini inserta eoque paullo longiora, filiformia, albescentia (fig. 5 et 1.) *Antherae* ovatae (fig. 1.) *Ovarium* in basi tubi calycini enatum; *ovula* ovato-oblonga placentae seriatim adfixa: *stylus* incrassatus, subulatus, filamentis brevior; *stigma* sub-capitatum (fig. 2. 3.) *Capsula* tubo calycino semi-adnata, 3-locularis (an abortu alterius loculi?), 3-valvis, apice dehiscens, polysperma. *Semina* matura non vidi.

Definitio.

« *E.* operculo simplici subconico tubum subaequante, pedunculis axillaribus brevibus sub 3 floris, foliis decussatis cordato-or-

» biculatis integerrimis brevissime mucronatis subcucullatis glau-» co-pulverulentis rubro-marginatis. *Nob.*

E. operculo sub-mutico, pedunculis 3-floris, foliis oppositis cordato-orbiculatis sub-cucullatis pulverulentis. Spr. syst. II. 501, n.° 14.

E. operculo hemisphaerico? pedunculis brevibus axillaribus, floribus 3-capitatis, foliis oppositis ovato orbiculatis sub-mucronato-cordatis glauco-pulverulentis integerrimis, ramis teretibus. DC. Pr. III. p. 221. n.° 40.

E. cordata Loddig. Bot. cab. 228, et H. Ripul. l. c. non Labill.

Obs. I. Accedit ad E. cordatam (*Labill.* N. Holl. 2. p. 13, t. 152), sed differt operculo longiore *sub-conico* tubum *subaequante*, nec *depresso* umbone *mucronato*, foliisque *orbiculatis pulverulentis integerrimis*, non *cordato-oblongis* saepius *crenatis* viridibus. *E. perfoliata* a Steudelio enumerata ex Catal. Noisetii, quam siccam possideo ac viventem vidi in H. J. C. *Zaldera* diversa non apparet ab *E. cordata*, nisi foliis longioribus, et valde distantibus: an igitur potius ejus varietas spectabilis cultura orta, de qua nulla mentio penes laudatos auctores?

Obs. II. Vegetatio lenta in plantis junioribus, adultae 8-10 annorum spatio luxuriant; alabastra adparent Jun.-Jul., nec opercula decidunt nisi intra sex menses circiter; paucis inde diebus flores perfecte patent. Talcae et propagines rameae difficillime radices emittunt; melius multiplicatur ope propaginum ex caudice nascentium.

II.

Cactus Lecchii.

Originem, descriptionem, ac phrasim hujusce rarissimae novaeque stirpis tradidi dubitans an ad *C. multangularem* Willd. pertineret (H. Ripul. p. 25. n.° 17. not. I.) Cl. Candolleus nuperrime *Cacteas* peragens utramque speciem enumeravit, addita

phrasi de *C. multangulari*, nostrum autem sine phrasi compingendo ad calcem *cercorum* inter species *hortulanorum vix notas* (DC. Pr. III. p. 463. et 471.) Propterea ut haec magis botanicis innotescat, dum nil exaratae descriptioni addendum puto, iconem exhibeo.

III.

Brexia spinosa.

Brexiae genus a *Pet. Thouar.* statutum (*Gen. nov. Madascar. n.°* 69.) e nova stirpe quam *Ferdinandus De Norona* in Insula Madascariensi detexerat (*B. madascariensis*) idem esse ac genus *Venanae Lam.* arbitratur Cl. Poiretius etsi speciem Lamarkianam fortassis differre a planta Thouarsii valde dubitat (*Poir.* dict. suppl. I. p. 698). Profecto in *Venana* folia sunt *ovata spathulata* integerrima *subretusa*, racemi *terminales laxi*, pedunculi *elongati multiflori* (*Lam.* Dict. VIII. p. 450 et Ill. t. 131.): planta autem Thouarsii folia gerit *lanceolata elongata spinosa*, pedunculosque *subumbelliferos axillares*, pedicellos *breves unifloros*: haec invenitur paucis ab hinc annis in commercio pene hortulanos tamquam nova *Theophrastae* species (*Th. serrata*, vel *serratifolia* Catal. *Cels.* 1828 p. 4 alibiq.) forsan ex habitu et foliis quibus ad *Th. americanam* accedere videtur; sed inflorescentia ac notis genericis toto caelo recedit, praesertim corolla *5-petala* (in *Theophrasta* monopetala) ac *urceoli staminiferi* praesentia. Novam stirpem florentem vidit primus Cl. Lindley, et ad *Brexiae* genus pertinere putavit, uti dubitare non sinunt fructificationis characteres cum *Brexia madascariensi* comparati, eamque *Br. serratam* salutavit. (*Spr.* syst. IV. cur. post. p. 94. n.° 2. bot. reg. 872.): ad quam autem familiam in ordine naturali illud spectet ignoro; an ad *Guttiferas* ex Sprengelii opinione (syst. I. p. 520. n.° 879.)? Tantum affirmare non audeo tum ex Cll. Choisyi et Candollei silentio in

Digitized by Google

in *Guttiferarum* analysi (*Chois.* mem. sur un nouv. genre des *Guttifères* et sur l'arrangem. method. de cette famille. Paris 1822. DC. Pr. I. p. 557-564), cum speciosissimi habitus ac fructificationis causa. Utique perutile negotium existimo novam ex planta mea laete vigente florenteque descriptionem et iconem publici juris facere, ut omnis dubitationis umbra evanescat.

Descriptio.

Frutex in calidario 2-3 pedalis. *Radix* lignosa, ramosa, fibrosa filamentis capillaribus. *Caulis* arboreus, erectus, basi semiteres versus apicem subcompressus, glaberrimus, simplex (an loco natali ramosus ut in *Br. madagascariensi?*). *Folia* alterna, ad caulis basim remota versus apicem subconferta, patentia, rigida, brevissime petiolata, lanceolata, elongata s. longit. dodrantali latit. pollicari, margine subundulata, saepius inaequaliter crenato-spinosa, rarius subintegerrima (Tab. III. fig. 8.) albo-marginata, apice saepius obtusa vel rarius spinoso-mucronata, utrinque glaberrima, supra nitida, inferne pallidiora, costata, reticulato-nervosa, coriacea, sempervirentia. *Petioli* lineares, semiteretes, superne canaliculati, semi-pollicares. *Pedunculi* axillares, subumbelliferi, compressi, alati, foliis 2-3-breviores, nutantes, 8-12-flori. *Pedicelli* lineares, teretes, breves, 1-flori. *Æstivatio* convoluta. *Calyx* inferus, brevissimus, monophyllus, 5-fidus, glaberrimus, laciniis rotundatis patentibus concavis, persistens (Tab. III. fig. 1. *a.* fig. 4.). *Corolla* campanulata 5-petala. *Petala* regularia, ovato-oblonga, vix unguiculata, incrassata, 6-lin. longa, 3-lata, albida, caduca. *Stamina* 5. petala alternantia (fig. 2.) *Filamenta* receptaculo staminifero inserta, basi incrassata, petalis paullo longiora, albo-viridia. (fig. 3. *a.*) *Antherae* oblongae, 2-loculares, interne dehiscentes, flavae. (fig. 3. *c.* fig. 5. 6.). *Receptaculum* staminiferum s. urceolus calyci adhaerens, basi crassus, hinc fimbriatus filis setaceis. (fig. 3. 6.) *Ovarium* superum, conicum, sulcatum. *Stylus* brevis, erectus, incrassatus, rubicundus.

Digitized by Google

Stigma obtusum, crassum, capitato-trigonum (fig. 3. *d.*, fig. 7.). Fructum non vidi (*Bacca* oblonga cortice lignoso firmo, 5-angularis, 5-locularis. *Semina* numerosa, ordine trino receptaculo centrali adfixa; *corculum* rectum; *cotyledones* haemisphaericae in *perisperma* carnoso: *ex Pet. Thou.*)

Char. gener. CAL. brevis 5-fidus laciniis rotundatis persistens. COR. 5-petala campanulata regularis. PET. ovato-oblonga caduca. FILAM. 5. petala alternantia urceolo fimbriato inserta. OVARIUM superum conicum. STIGMA crassum subtrigonum. BACCA 5-locular. SEM. 3-serialia. PERISP. carnosum.

Definitio.

» *Br.* foliis elongatis angulosis inaequaliter crenato-spinosis ob-
» tusis marginatis glaberrimis, pedunculis axillaribus subumbelliferis
» compressis nutantibus, pedicellis brevibus 1-floris (flores magni
» albidi.) » *Nob.*

Br. *foliis lanceolatis elongatis rigidis marginatis spinosis, pedunculis subumbelliferis.* Lindl. bot. reg. 872, et Spr. syst. IV. cur. port. p. 94. n. 2.

Theophrasta serrata cat. Cels. 1828. p. 4.

Obs. Phrasis *Br. madagascariensis* apud *Spr.* (l. c. n. 1.) satis non indicat differentias specificas inter hanc et *Br. spinosam*; hinc sequentem substituendam propono.

» *Br.* foliis ovato-oblongis spathulatis subretusis integerrimis
» glaberrimis, pedunculis terminalibus subracemosis compressis
» erectis, pedicellis elongatis multifloris (flores parvi). » *Nob.*

Br. *foliis oblongis retusis integerrimis, costa subtus purpurea, pedunculis umbelliferis* Spr. l. c. n. 2. bot. reg. 730.

Venana madascariensis *Lam.* ill. gener. vol 2. p. 59. n. 1723. tab. 131.

V. *foliis ovatis retusis glaberrimis, racemis terminalibus laxis.* Poir. dict. VIII. p. 450. *R.* et *S.* syst. V. p. 433.

Digitized by Google

IV.

Sida elegans

Inter insignes *Berterianas* stirpes ineditas dudum enumeravi *Sidam elegantem* enatam e seminibus ab auctore lectis in S. Martha (*H. Ripul.* p. 129. n. 5. not. I.): plantam tunc tenellam uti merebat illustrare non potui: at quarto aetatis suae anno copiosissime floruit in calidario, et quamvis fructus non tulerit, attamen ex caeteris fructificationis characteribus, ac seminibus quae servo innuere fas est optimam novam speciem constituere, quam descriptione ac icone illustratam Botanicis offero.

Descriptio.

Frutex in calidario 5-6. pedalis et ultra totus dense molliterque tomentosus. *Radix* perennis, lignosa, ramosa, fibrosa. *Caulis* fruticosus, solidus, erectus, laxus, teres, laevis, ramosissimus. *Rami* divaricati, flexuosi. *Folia* sparsa, inaequalia, s. majora 3. poll. longa, 2. lata alterna, minora conferta in axillis priorum quasi ramuli abortientes, omnia horizontalia, petiolata, cordata, subdenticulata, acuminata, subtus albidiora, plana, 7-nervia, reticulata, superne venosa, inferne nervosa, perennantia. *Petioli* lineares, subtetragoni, folium aequantes. *Flores* in paniculis terminalibus compositis laxis foliolosis dispositi. *Pedunculi* partiales lineares, teretes, petiolis 5-6 breviores, 1-3-flori; *pedicelli* brevissimi. *Calyx* simplex, ante anthesim sub 4-angulatus, 5-partitus, laciniis ovatis acutis petalis brevioribus (Tab. IV. fig. 1.). *Petala* 5 laciniis calycinis alterna, hypogyna, aequalia, per aestivationem spiraliter contorta hinc distincta, sub-unguiculata, cuneiformia, 4-5-lin. longa, versus apicem 4 lin. lata, integerrima, vix emarginata, flava (fig. 2.). *Stamina* numerosissima, hypogyna: *filamenta*

Digitized by Google

in tubum clavatum longitudine calycis coalita, superne libera, flocciformia, flava (fig. 3. 4.): *antherae* 1-loculares, suborbiculatae, transversim dehiscentes. *Ovarium* ovato-oblongum, villosum, constans carpellis pluribus (8-10), acutis, circa axim verticillatis, calyce brevioribus (fig. 5. *a.*). *Styli* in unum coaliti longitudine tubi staminum, flavi (fig. 5. *b.*); *stigmata* simplicia 2-3 tantum vix distincta (fig. 5. *c.*) *Carpella* matura non vidi *Semina* reniformia, minima, nigra, pilis reticulatis subalbidis undique adspersa (fig. 6. 7.). *Albumen* (1) nullum sec. *Juss.* et *DC.*, carnosum, tenue, album, intra plicas cotyledonum descendens sec. *Gaertn.* (fig. 8.). *Embrio* magnitudine seminis, curvatus, albus (fig. 9.)

Definitio.

» *S.* tomentosa foliis cordatis acuminatis subdenticulatis subtus » albidioribus, pedunculis 1-3-floris petiolo multoties brevioribus, » carpellis 8-10 acutis calyce brevioribus (flores paniculati flavi.)» *Nob.*

Obs. Ad *Abutiloideas polycarpas* DC. (pr. I. 449) pertinere videtur si habitus et carpellorum numerus solummodo inspiciatur, et ideo forsan inter *S. hirtam* et *mollem* collocanda (ibid. p. 470. n. 147-148); differt autem a priori pedunculis petiolis brevioribus, numero carpellorum, inflorescentia; ab altera foliis *cordatis*, nec *orbiculatis*, ramisque vix *tomentosis*, non *hispidissimis*.

Flor. Mart.-Apr. in calid.

---

(1) Albuminis praesentiam in nonnullis Malvaceis jam a Gaertnero detectam (fruct. II. p. 248 ad 259.), quam plures praestantissimi Botanici nulla adjecta ratione contendunt, hodie cl. Aug. S. Hilaire admisit in omnibus hujusce familiae stirpibus examini subjectis, ita ut pro generali ejus charactere statuendam esse dubitari amplius non possit. (Cons. *du perisperme dans les Malvées in Bull. des sciences par la Soc. philom.* 1815. *p.* 187, nec non *Bull. univ. Feruss. scienc. natur.* 1828. *Janv. p.* 72.)

Digitized by Google

V.

Crocus Imperati.

Haec pariter nova species a cl. *Tenoreo* nuperrime constituta (Memoria sui Crochi p. 10. et fl. neap. prodr. app. 5. p. 4.) et in *H. Ripul.* enumerata antequam fructificatio mihi nota esset (app. III. p. 32. n. 239. 3) majori indiget illustratione. En igitur quae tam in planta florente, quam in speciminibus siccis ab optimo amico illo nobis communicatis perscrutari successit.

Descriptio.

Bulbus oblongus, solidus, tunicatus, glaber, tunicis fibroso-costatis, fibris longitudinalibus parallelis. (Tab. V. fig. 6.) *Radix* fibrosa. *Folia* plerumque terna, synanthia, linearia, subulata, rigida, integerrima, margine revoluta, superne glabra, subtus canaliculo albo tomentosa, flores subaequantia. *Spathâ* 1-phylla, univalvis, scariosa, aeqnaliter striata, 1-flora. *Corolla* (*perigonium* Gay) tubulosa; *tubus* linearis lymbum subaequans, violaceus; *faux* nuda; *limbus* campanulatus 6-partitus; *laciniae* ovato-oblongae, aequales, violaceae, interiores unicolores, exteriores lineis brunneis exaratae. (fig. 1. 4.) *Stamina* corollae inserta, filamentis antheris sagittatis flavis brevioribus. (fig. 4. 5.) *Stigmata* staminibus breviora, truncato-lacera, crocea (fig. 2. 3.) *Capsula* violaceo-sex-striata. Caetera ut in congeneribus.

Definitio.

« *Cr.* foliis synanthiis flore longioribus ternis subulato-rigidis, » canaliculo tomentosis, spatha 1-phylla 1-flora, corollae tubo fauce » nudo limbum subaequante, stigmatibus truncato-laceris staminibus

Digitized by Google

» brevioribus, bulbo oblongo fibris verticalibus. » *Nob.*

Cr. *minimus α italicus, foliis* 1. ½ *lin. latis, fauce filamentisque plerumque aurantiacis, capsula sexstriata. Gar* Observ. in Bull. univ. Julio 1827. p. 346?

Cr. *foliis linearibus crassis revolutis serotinis, spatha* 2*-valvi* 1*-flora, fauce corollae (violaceae) nuda, stigmatibus trifidis truncatis stamina superantibus, bulbi tunicis membranaceo-filamentosis. Spr. Anton.* tentam. p. 2.

Obs. Croci genus admodum adhuc obscurum novam illustrationem meretur; divisio in *vernos* et *autumnales* parum consona botanicis legibus videtur; stigmatum forma et mensura cum staminibus comparata caeteris forsan praestantior nota. Quaedam species, *Cr. vernus* praesertim, plurimas varietates suppeditant, inter quas fortassis recensendae nonnullae stirpes nuper constitutae: an idem dicendum de *Cr. minimo* ad quem cl. *Gar* refert *Cr. Imperati?* an *Cr. minimus* ipse *Cr. verni* varietas? Consule laudatas observationes praestantissimi Parisiensis Botanici, hocce genus monographia illustranti, quae mox publici juris erit; nec non *Bertol.* (Descrizione dei Zaffarani italiani. Bologna 1826.)

VI.

Melaleuca styphelioides.

Nil mirum si venustissima stirps haec quamvis hodie fere vulgaris in hortis nondum inveniatur depicta, neque accurate descripta, id enim non botanicorum socordiae, sed plantae ipsius pervicaciae tribuendum. Profecto quindecim annorum spatio flores ex illa obtinere non licuit etsi maxima diligentia in olla culta atque servata: experiri tandem placuit, an sub dio in frigidario hyeme tantum tecto flores emisisset, quod feliciter cessit, et supremum modo ejus ornamentum constituit. Cl. *Smithius* primus de ea mentionem fecit (act. Soc. Linn. vol. III. p. 275) addita phrasi, quam,

Digitized by Google

paucis mutatis, transcripserunt *Willd.*, *Poiretius*, *Sprengelius* et nuperrime *Candolleus* ipse, qui tamen fatetur plantam siccam tantummodo vidisse sine flore ex H. Berolinensi (DC. Pr. III. p. 212. n. 9.) Amabilis igitur scientiae studiosi accuratam descriptionem ac iconem nostram humano jucundoque animo excipiant.

Descriptio.

Arbor in olla orgialis, sub dio 10-12-pedalis et ultra. *Radix* lignosa, ramosissima, fibrosa, grisea. *Caulis* arboreus, solidissimus, erectus, teres, rimosus, tunicatus, glaberrimus, ramosissimus, paniculatus, cortice subalbido: cortex hic in planta adulta innumeris, tenuissimis, mollissimisque membranis seu zonis vestitus apparet totidem telis arachnoideis similibus, quae spontaneas agunt fissuras in trunco; si corticis pars nonnullis tantum stragulis composita divellitur, politum subtilissimumque praebet papyrum aptissime scripturam recipientem, uti inspicitur in exemplari quod vobis exhibeo. *Rami* sparsi, conferti, teretes, inferne glabri, superne et ad spicas pubescentes, reflexo-penduli ut in *salice babylonica* densissimae umbellae modo truncum ab apice ad imum circumvenientes. *Folia* alterna, approximata, erecta, rigida, sessilia, oblique ovato-oblonga, lanceolata, acuminata, unguicularia, mucronato-pungentia, integerrima, glabra, striato-multinervia (nervi 12-14. non 7. ut ex *W.* et *Spr.*), margine ciliis superficie punctis tenuissimis nudis oculis inconspicuis adspersa, perennantia. (Tab. VI. fig. 1.) *Flores* albidi in spicam cylindricam pubescentem 1-2-pollicarem ramulorum apicem versus adnati ac duabus bracteis linearibus suffulti (fig. 6.) *Calyx* monophyllus; *tubus* subhaemisphaericus, glaber, brunneus; *limbus* 5-dentatus, villosiusculus, viridis, striato-nervosus, dentibus acutissimis (fig. 2.) *Petala* 5. ovata, dentes calycinos alternantia, brevissima, anthesis tempore caduca. *Stamina* numerosissima in 5. phalanges petalis oppositas basi tantum cohaerentia (fig. 3. et 6.) *Filamenta* calyce triplo longiora; *antherae*

Digitized by Google

incumbentes (fig. 4.) *Ovarium* haemisphaericum calyci tubo inclusum; *stylus* filiformis stamina subaequans; *stigma* obtusum (fig. 5). *Capsula* 3-locularis, polysperma. *Semina* minutissima, angulata.

Definitio.

« *M.* ramis reflexo-pendulis glabris superne spicisque pube- » scentibus, foliis alternis sessilibus oblique ovato-oblongis lanceo- » lato-acuminatis mucronato-pungentibus glabris dentibusque caly- » cinis acutissimis striato-multinerviis, spica cylindrica pubescen- » ti. » *Nob.*

M. stypheloides. *Smith.* l. c.: *W.* sp. III. 1430. *Ait.* H. Kew. ed. 2. vol. IV. p. 411. *Poir.* dict. suppl. III. p. 618. *Colla* H. Ripul. p. 87. n. 10.

M. styphelioides. *Spr.* syst. III. p. 335. n. 6. *DC.* Pr. III. p. 212. n. 9. Floret Jun-Julio.

VII.

Semperfivum ciliatum.

Memoratum a *Willdenowio* tamquam species non descripta quam legerat *Broussonetius* in Teneriffa, additaque simplici phrasi (*W.* en. p. 508 in notis) a *Poiretio* (Dict. suppl. V. p. 511) et *Sprengelio* (syst. II. p. 468. n. 2.) repetita, majori caret illustratione, si nonnullas excipias notas additas a *Candolleo* depromptasque e specimine sicco a laudato *Broussonetio* ei communicato (DC. Pr. III. p. 411. n. 4.) Figuram in *Bot. mag. t.* 1978 equidem citat cl. *Fontanesius* in *Cat. H. Paris.* 1828. p. 872; sed illa mihi ignota. Descriptionem, et iconem quoque tradidit praestantissimus *DC.*, postquam Prodr. vol. III. in lucem prodiderat, (Mémoire sur les familles des Crassulacées p. 38. Tab. X.), sed depromptas ex eodem specimine sicco et partim manco, uti ipse

Digitized by Google

fatetur: hinc plurima addenda et corrigenda restant ex observationibus in plantis viventibus, ac copiose florentibus in frigidario nostro aestivo tempore.

Descriptio.

Radix perennis, ramosa, crassiuscula. *Caulis* frutescens, humilis s. vix 2-pollicaris, erectus, teres, glaber, subcarnosus, cicatricibus ex foliorum casu annulato-exaratus, pollicis crassitie, prolifer. *Rami* ad apicem caulis circulatim dispositi, teretiusculi, adscendentes, laeves, glaberrimi, juniores rubescentes. *Folia* versus apicem caulis ramorumque ante florescentiam confertissima, hinc rosacea, infima dependentia, media horizontalia, summa erecta, omnia sessilia, oblongo-obovata, subspathulata, pollicaria, superficie glabra, margine cartilagineo-ciliata, apice acuta cilio longiore mucronis ad instar, subtus vix gibba, carnoso viscidula, utrinque lineis interruptis verticalibus rufescentibus adspersa (1), persistentia. *Flores* in paniculam thyrsoideam ex apice ramorum non caulis enatam dispositi; panicula haec constat *pedunculo-communi* (2) tereti, lineari, longissimo, pennae anserinae crassitie, subflaccido, adscendente, tortuoso, foliis lineari-lanceolatis caeterum caulinis similibus sparsim instructo; *pedunculis partialibus* linearibus, apicem versus 10-12 divisis, subtortuosis; *pedicellis* filiformibus, 1-2-lin. longis. *Calyx* monophyllus, saepius 7. raro 6-partitus, laciniis oblongis acutis (Tab. VII. fig. 1.) *Petala* imo calyci inserta tot quot laciniae calycinae eisque alterna ac triplo-longiora, ovato-oblonga, patentia,

(1) Speciosissimam hanc notam silet Candolleus.

(2) Candolleus existimavit speciem hanc propaginibus esse destitutam, et inter *Chronolba* enumerandam; error provenit ex manco specimine cui deest certe verus caulis et folia caulina: *ses feuilles radicales manquent dans mes échantillons*; caulis est vix *bi-pollicaris* in plantis viventibus non *sesquipedalis* uti asserit cl. Auctor (l. c. p. 39.); caulis ab eo descriptus et pictus est verus pedunculus thyrsi, (ramus) seu unus ex ramis, ceu constat etiam ex comparatione suae iconis cum nostra.

Digitized by Google

laete flava, (fig. 2. *a*, non *alba*, ut in auctoribus). *Stamina* petalorum numero *saepius* dupla (1) alia iis alterna parum longiora alia opposita breviora (fig. 2. *b.*), flava; *filamenta* imo calycis inserta, libera, filiformia; *antherae* reniformes, 2-loculares duplici rima dehiscentes (fig. 2. *c.*) *Pistillum* ante anthesin ovato-oblongum constans ex carpellis tot quot petala (fig. 3.), post anthesin orbiculatim dispositis, in stylum brevem acuminatis, ad basim (*subtus* juxta observationes CANDOLLEI l. c. p. 7.) squamis nectariferis petaloideis apice dentatis instructis (fig. 4.) *Carpella* maturitate omnino libera, oblonga, curvata, rostrata, 1-locularia, introrsum dehiscentia (fig. 5.) « *Semina* ad marginem suturae dehiscentis duplici » serie affixa, numerosa, minutissima, oblonga (fig. 5. 6. 7. 8.); » *albumen* tenuissimum carnosum; *embryo* teretiuseulus, rectus, » albus; *cotyledones* brevissimae; *radicula* cylindriea ad hilum di» recta. (fig. 9.) » *ex Gaertn.*

Definitio.

« *S.* caule frutescente humili prolifero, foliis sessilibus confertis » oblongo-obovatis subspathulatis glabris mucronulatis cartilagineo» ciliatis viseidulis interrupte vesiculari-lineatis, panicula thyrsoi» dea ex ramis foliolosa, pedunculis partialibus apicem versus con» ferti-floris, petalis 6-7., squamis neetariferis dentatis (flores fla» vi.) *Nob.*

« *S.* eaule frutescente, foliis obovatis acutis glabris cartilagi» neo-ciliatis, cymis confertis (flores albi). » W. Poir. Spr. ll. ee.

(1) Cl. CANDOLLEUS (l. c. p. 9) ex numero staminum petalis *aequali* vel *duplo*, divisionem statuit inter Crassulaceas *isostemones* et *diplostemones*, ac addit; « cette règle ne » présente qu'une *seule exception*, c'est ce qui se passe dans quelque *Sedum*, où l'on » trouve indifféremment 10. ou 5 étamines » Asserere tamen debeo in honorem veritatis ex innumeris experimentis habitis in floribus viventibus hanc exceptionem aeque locum habere in *Sempervivo ciliato*, adeoque incerta nec omnino constans esse potest laudata distinctio, et ob id solum respuenda videtur.

Digitized by Google

S. *caule frutescente, foliis caulinis obovatis subspathulatis mucronatis cartilagineo-ciliatis caeterum cauleque glabris, thyrsi paniculuti ramis apice conferti-floris, petalis* 6-7 *(flores ex sicco albidi.) DC.* l. c.

VIII.

Convolvulus retusus.

Pauca addenda mihi restant jam traditae descriptioni dum florentem novissimam pulcherrimamque hanc stirpem nostram adhuc non videram (*H. Ripul.* app. III. p. 31. n. 15. not. 2.). *Caulis* tunc erectus, quem in planta adulta volubilem suspicaveram, talis reapse evasit tertio aetatis suae anno, basi lignosus, ramis aeque volubilibus superne instructus. *Folia* uti in allata descriptione; glanduae tamen quas observaveram ad apicem inferiorem petiolorum seu ima parte folii, in adultis fere evanescunt. *Pedunculi* axillares, solitarii, lineares, teretes, petiolos subaequantes. *Calyx* 5-fidus tubo corollae brevior, bractea basi vix divisa apice 2-fida glabra vestitus (Tab. VIII. fig. 1. an bracteae 2. in tubum coalitae? an in fructu cum calyce persistentes?), laciniae calycinae ovatae, obtusae, glabrae, bracteam superantes (fig. 2.). *Corolla* infundibuliformis subplicata violacea: tubus ventricosus longitudine limbi; *limbus* 5-lobus, patens, lobis late-ovatis (fig. 3.). *Stamina* 5. subinaequalia corollae tubo breviora (fig. 3. *a.*); *filamenta* filiformia, subulata, basi incrassata; *antherae* subsagittatae (fig. 3. *a.* et fig. 4.). *Pistillum* staminibus paullo longius tubum non excedens; *ovarium* subrotundum, 4-sulcatum (fig. 5. *a.*); *stylus* filiformis basi incrassatus (fig. 5. *b.*); *stigma* 2-fidum (fig. 5. *c.*). *Capsulam* maturam non obtinui, sed ex forma ovarii et seminum, quorum nonnulla adhuc servo ex illis a *Bertero* Guadalupae lectis, arguere licet esse 4-locularem, 4. valvem loculis 1-spermis. *Semina* uti in citata descriptione. (fig. 6. 7. 8.)

Digitized by Google

Definitio.

« *C.* caule fruticoso volubili, foliis late-ovatis margine integer-» rimis apice retusis nitidis subcarnosis, petiolis 2-glandulosis pe-» dunculos axillares solitarios 1-floros aequantibus, bractea calycem » glabrum vestiente 2-fida, corolla infundibuliformi, genitalibus » inclusis. » *Nob.*

Obs. Ex forma stigmatis *2-fidi*, nec *capitato-globosi* ad *Convolvuli* potius quam ad *Ipomeae* genus stirps haec referenda. An autem fructus sit reapse *capsularis*, vel *baccam* exsuccam unilocularem tetraspermam constituat, in quo differentiam inter allata genera posuit *Gaertnerius* (fruct. II. p. 247. t. 134. f. 2. 3.) asserere non ausim cum ejus fabricam examini subjicere haud potuerim. Caeterum id parum bodie praestare videtur, dum a *Sprengelio Ipo. meae* omnes in unum *Convolvuli* genus fusae fuerunt (syst. I. p. 590 614.)

IX.

Farobaea nemorensis.

Farobaeae genus e *Schrankio* ineditum memoravi tamquam mihi ignotum, ac binas stirpes enatas e seminibus ab humanissimo Auctore communicatis phrasibus insignivi. Parce tunc floruerunt plantae meae, unde, facie tantum inspecta, parum a *Cacaliis* differre arbitratus eram. At positis demum veris tempore sub dio nonnullis individuis, copiosissimos flores maturaque semina obtinui, ita ut, ad trutinam revocatis fructificationis organis, veros characteres genericos statuere, speciem adamussim describere, ac iconem ex vivo exhibere optime mihi successerit.

Char. gener. *Anthod.* simplex polyphyllum foliolis margine argenteo-scariosis apice maculatis basi sub-involucratis. *Coroll.* radii 4 foeminei fertiles, ligula patentissima integerrima; disci numerosae

Digitized by Google

hermaphroditae, limbi laciniis conniventibus. *Recept.* paleaceum tenue convexum. *Papp.* pilosus.

Obs. I. *Senecioni* magis quam *Cacaliae* proximum genus; a prioris tamen stirpibus radiatis *(Jacobaea Tourn.)* differt calyce *subinvolucrato*, nec *squamulis calyculato*, radii ligula *integerrima*; receptaculo *paleaceo* nec *nudo*. Habitu quoque diversum.

Descriptio.

Radix perennis, ramosa, fibrosa. *Caules* caespitosi, herbacei, subinanes, erectiusculi, subflexuosi, 5-6. angulati, glabri, versus apicem subramosi, 2-3. pedales. *Folia* alterna, suberecta, inferiora basi in petiolum attenuata superiora sessilia subamplexicaulia acuminata, omnia lato-lanceolata 1-2-3-poll. longa 1-lata, inaequaliter dentata, acutissima, glabra, costata, penninervia, venosa. *Flores* in corymbum terminalem laxum foliolosum dispositi; *pedunculi partiales* erecti, lineares, foliis bracteiformibus lineari-subulatis hinc inde adspersi, saepius 3-5. rarius 1-2-flori; *pedicelli* breves, subnudi, apice tantum squamis foliaceis (bracteae?) brevissimis filiformibus involucri adinstar anthodii basim cingentibus instructi. *Flores* radiati. *Anthodium* simplex, cylindricum, diam. 1-lin. long. 2-lin., glabrum, persistens, polyphyllum; *foliola* 10-12. aequalia, linearia, margine argenteo-scariosa, disco primum viridia, dein maturitate fusca, apice acuta ibique macula atrata picta (Tab. IX. fig. 1. 2.). *Radii* foeminei fertiles 4, saepius 1. imperfectus vel abortivus et tunc sterilis et pappo destitutus (fig. 4.), in crucem dispositi: *tubus* filiformis, erectus, foliola calycina subaequans, luteolus (fig. 4. *a.*): *ligula* patentissima, lanceolata, integerrima, 5-nervis, tubo vix longior, flava (fig. 4. *b.*); *stylus* inclusus, stigmatibus exsertis, brevissimis, arcuatis, ochraceis (fig. 4. *c.*); *Flosculi* disci numerosi, hermaphroditi, calyce paullo longiores; *tubus* ut in radiis; *limbus* brevissimus, ventricosus, flavus, 5-fidus, laciniis erectis conniventibus (fig. 6.); *filamenta* 5. libera inclusa;

Digitized by Google

antherae oblongae, coalitae, exsertae, atratae (fig. 6. *a.*); *stylus* et *stigmata* inclusa. *Receptaculum* palcaceum, tenue, convexum (f. 7.). *Semina* parva, oblonga, utrinque attenuata, striata, fusca (fig. 8. 9.). *Pappus* sessilis, simplex, pilosus, pilis oculis armatis spiratim contortis (fig. 3. *a.* et 9. *a.*)

Definitio.

« *F.* foliis lato-lanceolatis denticulatis inferioribus in petiolum » attenuatis superioribus subamplexicaulibus acuminatis, bracteis pe- » dicellum subaequantibus. » *Colla* H. Ripul. app. III. p. 36. not. 1.

F. nemorensis *Schrank* in lit.

Obs. 2. Patria ignota; culta in olla perennat in frigidario, at parce floret; sub dio posita vere luxuriat sed hyeme perit.

X.

Narcissus unicolor.

Nova haec eximii *Tenorei* species a cl. *Sprengelio* probata solaque phrasi insignita, caret, ut sciam, ampliori illustratione, hinc de eadem lacte florente in horto meo, et cum speciminibus ab auctore ipso e patria humaniter missis comparata, descriptionem ac iconem exhibere inopportunum haud duxi.

Descriptio

Radix perennis, fibrosa, crassiuscula, albicans, bulbosa; *bulbus* ovatus, diamet. pollicari, longit. sesquipollicari, basi planus, apice angustatus, tunicatus, tunica externa laevi, glabra, fulva (Tab. X. fig. 9.). *Folia* radicalia, basi vaginantia, erectiuscula, linearia, apice angustata, 4-5-lin. lata, dodrantalia et ultra, integerrima, plana, glaucescentia. *Scapus* adscendens, compressiusculus,

Digitized by Google

linearis, 2-3 lin. latus, folia subaequans. *Spatha* 1-valvis, ovato-oblonga, apice acuta, latere dehiscens, pedicellis longior, 5-10-flora (fig. 11). *Flores* umbellati; *pedicelli* longitudine inaequales, lineares, compressiusculi. *Perianthium exterius* (corolla *L.* calyx *Juss.*) hypocrateriforme, ovario impositum; *tubus* limbum subaequans; *limbus* 6 partitus; *laciniae* patentes, planae, ovato-oblongae, acutiusculae, albescentes, concolores (fig. 10). *Perianthium internum* (nectarium *L.* corona *alior.*) vix exsertum, campanulatum, plicatum, apice crenulato-lacerum, luteolum (fig. 1). *Stamina* 6. tubo inserta; *filamenta* distincta, alternatim inaequalia s. 3. coronam subaequantia (fig. 1. *a.*) 3. medietatem tubi paullo superantia, filiformia, luteola (fig. 1. *b.*); *antherae* oblongae, triangulares, flavae (fig. 2). *Ovarium* inferum, ovatum, triangulare (fig. 3. *a.*); *stylus* filiformis longitudine staminum longiorum, luteolus (fig. 3. *b.*); *stigma* 3-lobum (fig. 3. *c.*). *Capsula* 3-locularis, 3-valvis, glabra, loculis polyspermis (fig. 4. 5.). *Semina* horizontalia per maturitatem erecta, ovata (fig. 4. 6. 7.); *albumen* semini conforme, carnosum, durum, album (fig. 8. *a.*); *embryo* subcylindricus, utrinque rotundato-obtusus, rectus (fig. 8. *b.*)

Definitio.

« *N.* foliis planis linearibus apice angustatis glaucescentibus, » scapo compressiusculo folia subaequante, spatha pedicellis lon- » giore multiflora, laciniis corollae ovato-oblongis acutiusculis con- » coloribus coronam campanulatam plicatam crenulato laceram mul- » toties superantibus. » *Nob.*

N. *foliis planis glaucescentibus, scapo teretiusculo, spatha multiflora, laciniis corollae oblongis concoloribus coronam campanulatam plicatam laceram 6-plo superantibus.* Spr. syst. II. p. 43. n. 10. ex *Tenore.*

N. *papyrarius* Bot. mag. 947. sec. *Sweet.* II. britan. 1827. p. 408.

Obs. Affinis videtur *N. Tazzettae*, sed differt foliis latioribus,

Digitized by Google

spatha ampliore et longiore, corollae laciniis prorsus concoloribus, corona valde breviori nec integerrima, floribus demum numerosioribus et amplioribus. Crescit in Insula Caprea ubi primum inventa a cl. *Tenoreo*. Floret in fr. Feb.-Mart., sub dio Maj-Jun. Perenn.

XI.

Cassia Barrenfieldii.

Inter novissimas ac indescriptas *Cassiae* species dudum a me enumeratas distinctissimam sedem meretur stirps haec, quam dixeram in honorem cl. J. C. *Barrenfieldio* utpote primus qui illam invenerit in regionibus Botany-Bay, ac semina sine nomine praeclaro *Schrankio* miserit quae nobis humanissimus hic Professor communicaverat (*H. Ripul.* app. II. p. 343. n. 15 et not 3.). Flores tunc temporis non videram, hinc herbam solummodo ac semina recensere licuerat, caeteris ommissis quae fructificationem spectarent; haec apparuit tandem et immo copiosissima in adultioribus plantis, ut possim numeris omnibus absolutam descriptionem ac iconem Botanices studiosis offerre.

Descriptio.

Frutex in fr. 1-2 pedalis. *Radix* perennis, fibrosa, ramosa, fibris junioribus flavescentibus, adultis nigris lignosis. *Caulis* fruticosus, erectiusculus, teres, rimosus demum flexuosus, angulatus, scabriusculus, cortice fusco, simplex, versus apicem tantum subramosus. *Folia* alterna, erecta, ovata, approximata, superiora subfasciculata, 8-10-juga: *foliola* patentia, subsessilia, rigidiuscula, lanceolato-ovata, 1-lin. lata 4-5. longa, integerrima, mucronulata, superne nitida inferne pallidiora, costa subtus prominula, vix penninervia, avenia, plana, persistentia. *Petiolus* communis linearis, superne canaliculatus, glaber, basi eglandulosus, ad insertionem

Digitized by Google

stipulis binis erectis subulatis 1 ¦ lin. longis vallatus, superne intra singula paria glandula conica apice fusca instructus. *Pedunculi* versus apicem caulis axillares, filiformes, glabri, nudi, foliis dimidio breviores, 2-flori; *pedicelli* pedunculis 2-3 brevjores, ad dichotomiam bracteis binis foliaceis horizontalibus ovatis acutis suffulti. *Flores* uti in *C. Schultesii*, sed paullo majores *Legumina* breviora, vix arcuata, glabra (Tab. XI. fig. 1.). *Semina* obcordata, semicompressa, glabra, fusca. (Vid. hujus descriptionem quod ad flores in H. Rip. app. II. p. 344. not. 3. et legumen app. III. p. 21. et tab. X.)

Obs. Accedit ad *C. Schultesii*, sed differt foliorum jugis numerosioribus, foliolis *lanceolato-ovatis planis*, nec *linearibus revolutis*, stipulis *subulatis* ac *longioribus*, glandula inter paria potius *conica* quam *cylindrica*, demum in universis partibus magnitudine fere *dupla*, excepto legumine quod brevius, ac glabrum. Consule phrases a nobis impositas ll. cc.

XII.

Hibiscus Jacquinii.

Binae species enumerantur ab auctoribus sub nomine *Hibisci prurientis;* prior a *Willdenowio* absque ulla indicatione (*W.* en. suppl. p. 49.); haec fortassis eadem est ac illa quam citat *Steudelius* se se referens ad *Jacquinium*, quin ostendat opus in quo stirps illa descripta fuerit, quamque frustra perquisivi, non omnissis synonymis, in recentioribus Botanicorum codicibus: altera a *Roxburghio* (catal. Calc. 51.), et de hac phrasim habemus penes *Candolleum* et *Sprengelium* (*DC.* Pr. I. p. 448. n. 30. *Spr.* syst. III. p. 105. n. 64.), sed ampliori illustratione caremus etsi ejusdem figura reperitur in Bot. rep. t. 498. sec. *Sweet.* (H. britann. p. 51. n. 15.), quam non vidi. Existit equidem in herbario *Biroli* specimen quoddam allato nomine indicatum addita in schedula hac

Digitized by Google

nuda annotatione *W. en. suppl.*; at illud characteribus non quadrat cum phrasi *Candolleana* ita concepta: « caule herbaceo pi» loso, foliis *longe* petiolatis ovatis *subtrilobis* serratis membra» naceis *glabriusculis*, pedicellis brevissimis, *involucello* et calyce » basi pilosiusculis corollam *aequantibus* utrinque 5-partito acumi» nato. » Petioli in citato specimine sunt foliis dimidio *breviores*, folia *scabriuscula patenti* 3-*partita*, laciniis lanceolato-ovatis infimis *sub-bilobis*, involucelli calyce *triplo-breviores*: an reapse ad *H. prurientem* WILLD. pertineat absoluto indicationis defectu perperam quaeritur. Stirps de qua hic sermo enata est Aprili 1827, e seminibus missis a cl. TENOREO sub indicatione *Hibiscus pruriens* JACQ.; sed ab utraque differre sequens descriptio et figura indicabunt: an eadem planta de qua apud STEUDELIUM? an species indescripta? in primo casu nomen immutandum, ne confundatur cum *H. prurienti* ROXB.; in altero novum imponendum; hinc illam cl. JACQUINIO ipsi dicare aptissimum erit.

Descriptio.

Planta in calidario 2-pedalis. *Radix* sublignosa, fibrosa, perennis. *Caulis* basi sublignosus, glaber, erectus, teres, parvi digiti crassitie, versus apicem ramisque junioribus pilis prurientibus tangenti manui haerentibus obsitus, sub-ramosus. *Rami* erecti. *Folia* alterna, verticalia, petiolata, cordata, pollicaria, sub-7-loba s. lobis tribus superioribus evidentissimis, infimis minimis, omnibus apice acutis inaequaliter dentatis, utrinque petiolisque pilis albescentibus prurientibus ac haerentibus ut supra adspersa, plana, 5-7-nervia, reticulato-venosa, membranacea, persistentia. *Petioli* lineares, teretes, foliis parum longiores, horizontales, in foliis superioribus erectiusculi. *Flores* ad apicem caulis ramorumque dispositi. *Pedicelli* lineares, teretes, pilosi uti folia, 1-½-lin. longi, basi bracteis tribus difformibus instructi, s. bractea inferior foliacea 5-loba major, laterales triplo minores lineares. *Involucellum* 5-phyllum foliolis li-

Digitized by Google

lineari-lanceolatis acutis, apice recurvatis, pilosis, lineis paralellis longitudinalibus notatis calycem subaequantibus, caducis (Tab. XII. fig. 1. *a.* et fig. 2.). *Calyx* monosepalus, pilosus, 5-lobus, lobis basi dilatatis acuminatis, apice recurvatis, persistens (fig. 1. *a.* et fig. 5. *a.*). *Petala* 5. hypogyna, per aestivationem convoluta (f. 10.) demum expansa, lobis calycinis alterna, brevi unguiculata, obovata, 7-9-nervia, reticulato-venosa, calyce triplo longiora, luteola, basi atrato-picta (fig. 3. et 9.). *Stamina* numerosa inaequalia; *filamenta* in tubum columnarem atratum petalis dimidio breviorem coalita, demum libera; *antherae* subrotundae rima transversali dehiscentes. *Ovarium* ovatum constans carpellis 5. coalitis (fig. 4. *a.*). *Styli* 5. in unum coaliti columnam staminum subaequantes (f. 4. *b.*) hinc liberi in stigmata simplicia villosa stellata finientes (f. 4. *c.*). *Fructus* capsularis, ovatus, ad medietatem usque calyce cinctus, 5-locularis, 5-valvis, s. carpella 5. basi coalita apice acuta, externe scabra pilosa, intus glabra, rima dehiscentia, 3-4-sperma (fig. 5. *b.*). *Semina* reniformia, compressiuscula, glabra, nigrescentia, punctis albidis callosis lente tantum conspicuis adspersa. (fig. 7. 8.)

Definitio.

H. subligniosus piloso-pruriens: foliis longe petiolatis cordatis sub-7-lobis inaequaliter dentatis, pedicellis brevibus, involucello 5-phyllo calyceque 5-lobo petalis expansis triplo brevioribus (flores luteoli basi atrati). *Nob.*

Obs. Collocanda stirps haec in sect. IV. inter *Ketmias* Caudollеanas; accedere magis videtur *H. micanti Cav.*, quam *prurienti Roxb.* differt autem a priori foliis 5-7-*lobis* non 5-*angularibus* tantum, ac involucello 5-*phyllo* nec 6-partito; ab altero foliorum forma, et pilis, involucello calyceque corolla *triplo-brevioribus*, non illam *aequantibus*.

Digitized by Google

ICONUM EXPLICATIO

Tab. I. *Eucalyptus pulverulenta.*

Fig. 1. Stamen adauctum; *fig.* 2. Pistillum longitudinaliter sectum adauctum; *fig.* 3. ejusdem sectio transversalis adaucta; *fig.* 4. Folium; *fig.* 5. Flores; *fig.* 6. Alabastra operculata.

Tab. II *Cactus Lecchii.*

Tab. III. *Brexia spinosa* ⅓ circiter magnitudinis naturalis redacta.

(Fig. 1. ad 5. magnitudine naturali); *fig.* 1. Flos postice visus, *a* calyx, *b* petala; *fig.* 2. idem antice visus, *a* petala, *b* stamina, *c* pistillum; *fig.* 3. idem calyce et corolla denudatus, *a* stamina urceolo inserta, *b* urceolus, *c* antherae, *d* pistillum; *fig.* 4. Calyx denudatus antice visus magnitudine naturali; *fig.* 5. Anthera adaucta antice visa; *fig.* 6. eadem postice visa; *fig.* 7. Pistillum adauctum; *fig.* 8. Folia subintegra.

Tab. IV. *Sida elegans.*

Fig. 1. Calyx postice visus; *fig.* 2. unum ex quinque petalis; *fig.* 3. Phalang. staminum; *fig.* 4. pars superior libera unius staminis adaucta; *fig.* 5. Pistillum adauctum, *a* ovarium, *b* stylus, *c* stigmatum partes distinctae; *fig.* 6. Semina magnitudine naturali; *fig.* 7. unum ex eisdem multoties adauctum; *fig.* 8. Albumen decorticatum ex *Gaertn.*; *fig.* 9. Embryo denudatus ex *Gaertn.*

Tab. V. *Crocus Imperati.*

Fig. 1. Limbus, et pars tubi corollae; *fig.* 2. Stylus integer; *fig.* 3. ejusdem pars superior adaucta; *fig.* 4. Corollae sectio ut appareat staminum insertio; *fig.* 5. Stamen adauctum; *fig.* 6. Bulbus.

Tab. VI. *Melaleuca styphelioides.*

Fig. 1. Folium; *fig.* 2. Calyx; *fig.* 3. una ex quinque phalan-

Digitized by Google

gibus staminum. *fig.* 4. Stamen unicum; *fig.* 5. pistillum. Omnia triplo adaucta. *fig.* 6. Flos integer multoties adauctus.

TAB. VII. *Sempervivum ciliatum.*

Fig. 1. Calyx postice visus; *fig.* 2. duo ex septem petalis cum quinque ex quatuordecim staminibus ad indicandam eorum insertionem et proportionem; *fig.* 3. Pistillum ante anthesin visum; *fig.* 4. idem post anthesim, *a* carpella immatura, *b* squamae nectariferae; *fig.* 5. unum ex carpellis maturis; *fig.* 6. Semina; *fig.* 7 eadem lente visa; *fig.* 8. unum ex eisdem transverse sectum; *fig.* 9. ejusdem sectio verticalis cum situ et figura embryonis ex *Gaertn.* Omnia adaucta excepta fig. 6.

TAB. VIII. *Convolvulus retusus.*

Fig. 1. Bractea; *fig.* 2. una ex quinque laciniis calycinis; *fig.* 3. Corolla longitudinaliter secta, *a* stamina; *fig.* 4. unum ex eisdem adauctum; *fig.* 5. Pistillum adauctum, *a* ovarium, *b* stylus; *c* stigma; *fig.* 6. Semen germinationi proximum; *fig.* 7. ejusdem sectio transversa; *fig.* 8. Embryo denudatus.

TAB. IX. *Farobaea nemorensis.*

Fig. 1. unum ex foliolis calycinis antice visum; *fig.* 2. idem postice visum; *fig.* 3. flos radii cum pappo; *fig.* 4. idem pappo destitutus, *a* tubus, *b* ligula, *c.* stigmata; *fig.* 5. flosculus disci cum pappo; *fig.* 6. idem pappo denudatus, *a* antherae coalitae; *fig.* 7. receptaculum superne visum; *fig.* 8. semina; *fig.* 9. unum ex eisdem cum unico pappi pilo; *fig.* 10. idem transverse sectum; *fig.* 11. ejusdem sectio verticalis. Omnia plus minusve adaucta, excepta fig. 8.

TAB. X. *Narcissus unicolor.*

Fig. 1. Coronae sectio verticalis, *a* stamina longiora, *b.* stamina breviora; *fig.* 2. anthera antice et postice visa; *fig.* 3. Pistillum, *a* ovarium, *b* stylus, *c* stigma; *fig.* 4. capsula matura dehiscens; *fig.* 5. eadem transversim secta; *fig.* 6. semen;

Digitized by Google

fig. 7. ejus sectio transversalis; *fig.* 8. *a* albumen verticaliter sectum, *b* embryonis situs et figura; *fig.* 9. bulbus; *fig.* 10. corolla; *fig.* 11. spatha. Omnia magnitudine naturali, exceptis fig. 6. 7. 8.

TAB. XI. *Cassia Barrenfieldii.*

3 ferox . . . . . *Desf:* arb: IL p. 246. = ? = . ? . . . . . D. arb: . . nond: flor:
Gl: orientalis . . . . . *Bosc:*exhb:*Balb:*sec: *DC:*Pr:II.479.
Gl: macracantha (1). . . . *W.* arb: non *Desf:* nec *Spr:*

356 GOSSYPIUM
Monad: polyand: Malv:
3 religiosum ? (2) . . . . . *W.*sp:III.803.=*Cavaliss:*6.*t.*164.*f.*1.=Ind: orient: . . C. frut: 1. vir: Aug-Sept:

H

894 HEBENSTREITIA
Didyn: ang: Verben:
(Selagineae Chois: *)*
1 tenuifolia (3). . . . . *Mart:* ined: = ? = ... C. B. S. ? . . F. per: a. suff: Jun:-Jul:

---

(1) *Gleditschia macracantha* DESF: (arb: p. 246. n. 4.) eadem est ac *Gl: horrida* W. (sp: IV. 1098.), quam cl: CANDOLLEUS enumerat sub *Gl: sinensi* LAM: diversa a *Gl: macracantha* W. laudata a SPR: (l. c.) tamquam synonima *Gl: ferocis*, de qua nulla mentio apud DC: ; neque hic tantum dissentiunt cl: illi viri , nam CANDOLLEUS asserit, ejus patriam, et legumen ignotum esse , nec in Gallia adhuc floruisse fatetur DESF: (l. c. p. 249.); SPRENGELIUS vero Carolinae incolam esse , et legumina in spiram torta gerere testatur : an florentem vivam , vel siccam ex patria viderit ignoro.

(2) *Gossypium religiosum*. Enatum e seminibus sine nomine missis a cl: SPRIO frutescens evasit , floruitque 3. anno. Comparatum cum caeteris stirpibus frutescentibus accedit ad *G. religiosum* , at folia in mea planta glabriuscula , nec villosa. Species omnes hujus generis incertae , monente cl: CANDOLLEO , et characteribus mancis stabilitae (*DC:* Pr: I. p. 456. in N. B.) , ideo minimis periculosum ex sola allata nota , quae forsan fugax , novam speciem constituere.

(3) *Hebenstreitia tenuifolia* Optimam novam stirpem formare arbitramur a caeteris huc usque descriptis diversam praesertim foliis tenuissimis , glabris , omnibusque integerrimis : cl: MARTIUS semina misit sub allato nomine , sed patriam non indicavit , nec editam dixit ; illam memoratam non video apud cl: CHOISY in diligentissima elucubratione *Selagincarum. (Mémoire sur la famille des Selaginées : Genève* 1823. *)* , ubi omnes species C. B. S. incolas esse asserit , et accurate describit. Retento igitur nomine a MARTIO imposito uti conicimo , sic illam definiendam propono.

« *H.* foliis linearibus tenuissimis integerrimis caulesque herbaceo glabris , spicis terminalibus simplicibus , bracteis ovatis acuminatis glabris integerrimis : (flores minutissimi.) . *Nob:*

Digitized by Google

H

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
—	—	—	—

368 HEDYSARUM
Diad: dec: Legum;
8 petraeum . . . . . *W.* sp: III. 1217. = ? = . . . Caucas: petros: F.D. per: 2. . . Jun:-Jul:
sub *Onobrychide* . . . . . *DC:*Pr:II.345.n.10.et*Spr:*syst:III.303.n.6.

370 HELIANTHEMUM
Polyand: monog: Cist:
4 glaucum . . . . . *Pers:*syn:II.78.n.49.= *Cav:*ic:3.t.261.= Hispan: Ital: P. suf: 2. vir: Maj:-Jun:
sub *Cisto* . . . . . *Cav:*l.c.p.31.*W.*sp:II.1203.n.57.non *Desf:*
5 viride . . . . . *Tenor:* prodr: p. 31. = ? = . . Sicilia . . . . F. id. . . . . id.

383 HIBISCUS
24 lilliflorus . . . . . *W.*sp:III.819.=*Cav:*diss:3.t.57.f.1. Ins: Borbon: . . C. suf: 1. vir: nond: flor:
Malvaviscus puniceus . . . *Bory* ined: sec: *DC:* Pr: I. 446.n.1.
25 Jacquinii (1) . . . . . *Nob:* = *Ic: nostr:* = ... Ind: orient: . . C. bien: suf: Febr:-Mart:

895 HYPERANTHERA
Dec: monog: Legum:
1 Moringa . . . . . *W.*sp: II 536. = *Lam: ill: t.* 337.= Indiis. Ægypt: . C. arb: . . nond: flor:
Moringa pterigosperma . . . *DC:* Pr: II. 478. ex *Gaertn:* fruct:

I

399 JASMINUM
Diandr: monog: Jasm:
14 laurifolium . . . . . *Roxb:* = *Rheed: mal:* 6. *t.* 53 ? = Indiis . . . . C. suf: 1. vir: nond: flor:
J. angustifolium ? . . . . . *W.* sp: I. 37. sec: *Spr:* syst: I. 30.

402 ILEX
Tetr: monog: Ramn:
3 cassinoides ? (2) . . . . . *Dumon:* bot: cult: VI. 251. = ? = ? . . . . . F. id. . . . Jun:-Jul:
I. angustifolia *W.*sec:*Spr:*syst:I.495 n.14.*Link:*en:sec:*Sweet:*

---

(1) *Hibiscus Jacquinii.* Vid: supr: descript: et icon: n XII.

(2) *Ilex cassinoides.* Planta sub hoc nomine a me culta videtur differre ab *I. angustifolia* W. (En: I. p. 172. *B.* et *S.* syst: III. 489. n. 11.) cum qua confusa a cl: SPRENG: (l. c.) ; folia enim prorsus *elliptica*, nec *lineari-lanceolata*, *integerrime* non *apice serrata*, potius *approximata* quam *distantia*; haud tamen quadrat cum descriptione DUMONT. (l. c.). Nam planta mea tota inermis ; magis accedit ad *I. Cassine*, cujus forte varietas ; differt enim tantummodo foliis approximatis neque apice serratis : notandum tamen ex descriptione LAM: (Dict: III. p. 147.) folia in illa adesse *raro argute serrata* ; insuper habemus ex AIT: ejus varietatem foliis lanceolato-oblongis *serratis* (H: Kew: ed: 2. 1. p. 278. I. *latifolia α*), ex quibus innuitur, eandem stirpem quandoque polymorpham evadere. Interea plantam nostram sic definiendam duco :

Digitized by Google

I

Nom: et rec: synom:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
406 Ipomæa			
Pent: monog: Conv:			
13 hepaticaefolia	*W.*sp:I.885.=*Burm:ind:*50.*t.*20*f.*2.	Zeylona . . .	C. an: . . Jul:-Aug:
sub *Convolvulo*	*Spr:* syst: I. 594. n. 61.		
407 Iris			
Triand: monog: Irid:			
19 dichotoma	*W.*sp:I.230.=*Palk:*3.*app:n.*61.t.A*f.*2.=	Dahuria . D.	per: 2. . Maj:-Jun:
I. pomeridiana	*Fisch:* sec: *Spr:* I. 162. n. 39.		

M

460 Malva			
Monad: polyand: Malv:			
8 balsamica	*W.*sp: III. 782.=*Jacq:ic:*I.*t.*140.=	C. B. S.? . .	F. suf: 2. vir: Jun:-Oct:
9 mareotica	*Delil:*sec:*DC.*Pr:I. 433. n. 40.=*?*=	Ægypt: . . .	F. an: . . Jul:-Sept:
10 spicata	*W.*sp:III.774.=*Cav:diss:*2.t.20*f.*4.	Jamaica . . .	C. suf: 2. vir: Jun:-Aug:
896 Mappa *Adr: Juss:* (1)			
Monoec: monad: Euph:			
1 tanaria	*Spr:* syst: III. 878. n. 2.	Ind: orient: . .	C. suf: 1. . Aug:-Sept:
sub *Ricino*	*Auctor:*=*Rumph:amb:*3.*t.*121.=		
467 Medicago			
Diad: dec: Legum:			
4 polycarpa	*W.* en: suppl: 52. = *?* = . . .	Gallia merid. .	D. an: . . . Jun:-Jul:
M. apiculata (1)	*W.*sp:III.1414.sec:*DC.*Pr:II.175.n.32.		

« *I.* foliis alternis ellipticis brevissime petiolatis integerrimis mucronulatis supra nitidis subtus pallidioribus coriaceis semper virentibus, pedunculis axillaribus lateralibusve brevibus sub-corymbosis paucifloris. *Nob:*

(1) *Mappae* genus creatum a Cl: *Adr:* Jussieu e fere omnibus *Ricini* speciebus (excepto *R. communi*, nonnullisque aliis, quae varietates potius a Spr: habentur) parum naturale ; ab hoc enim differt tantum calyce in masculis 3. non 5-partito, staminibus 3-10 basi ramosis, stylo in foeminis intus plumoso ; caeterum habitu non distinguitur. Species a me culta etsi fruticosa floret intra annum, an idem de *Ricino communi* dicendum secundum observationem Sprengelii (Syst: III. 878.)? Numquam in calidario meo fruticosus evasit, uti *Mappa tanaria*.

(2) *Medicago policarpa*. Cl: Candoll-us *Medicaginem polycarpam* et *apiculatam* eandem esse plantam existimat (l. c.) ; contrarium inferre licet ex caulibus in *polycarpa suberectis* non *prostratis*, leguminibus non *margine* tantum sed *undique* evidentiusque muricatis. W. illam non definivit etsi diversam credidit ab *apiculata* ; in Sprengelii systemate non invenitur. Ex Bertram medicaginarum diligenti monographo (Catal: des plant: indig: des Pyrennées et du bas Langued: Paris 1826. p. 103.)

Digitized by Google

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*

483 METROSIDEROS
Icos: monog: Rosac:

13 stricta (1) ? . . . . . *Hortul:* = ? = ... N. Holl: . . . F. suf: t. vir: nond: flor:
M. linearis ? . . . . . *W.* sp: II. 953.
Callistemon lineare ? . . . . *DC.*Pr:III.223.n.9.=*Sert.an:*194.11.sec:*Sweet.*=

897 MIMUSOPS
Oct: monog: Sapon:

1 macrophylla ? . . . . . *Hortul:* (2) = ? = ... ? . . . . . C. arb: vir: . Jul:-Aug
M. imbricaria ? . . . . . *W.*sp:II.326.=*Lam:ill.*300.*f.*2.=

898 MORISIA *Gay.*
Tetrad: silicul: Cruc:

1 hypogaea (3) . . . . . *Gay* in litt: = *Gay ic: ined:* = Sardin: Corsic: . D. an: . . Maj:-Jun:
Sisymbrium monanthos . . . *Viv:* fl: lib: p. 68.
Erucaria hypogaea . . . . *Viv:* fl: cors: p. II.=*app:p.*3.*f.*2.=
Rapistrum hypogaeum . . . *Dubuy* Bot: Gall: I. p. 54.

M. polycarpa W. est *M. denticulata* W. var: « *brevispina*: si reapse distinctam speciem format, phrasis haec erit:
« *M.* glabra, caulibus erectis subtetragonis, foliolis obovatis retusis denticulatis, stipulis ciliatis, pedunculis 3-6-floris, legu-
» minibus cochleatis planiusculis undique muricatis, spinis divergentibus subuncinatis, seminibus oblongo-reniformibus flavis. *Nob:*

(1) *Metrosyderos stricta.* In hortis colitur sub hoc nomine Botanicis ignoto; nec differt a *M. lineari* W. (*Callistemon* DC. l. c.), nisi foliis angustioribus; at stirpem hanc a seminibus et cultura valde variare experientia docuit.

(2) *Mimusops macrophylla.* Rarissimam hanc stirpem quam in solo CRUSII Catal: 1828. p. 39. enumeratam inveni, comparavi laete florentem sed sine fructu cum descriptionibus caeterarum hujusce generis, nullamque differentiam detexi inter illam, et *M. imbricariam* a cl: POIR: concinne descriptam sub nomine *Imbricariae maximae.* - *Nattier à gros fruit* (Dict: IV. p. 404.). Figura tamen LAM: (l. c.) differt a planta mea petiolis pedunculisque longioribus; haec magis convenit phrasi ejusdem stirpis apud W. l. c. et SPR: (syst: II. 208. n. 6.). Ico *Lamarkiana* picta e speciminibus lectis in loco natali, et reflexus tantum apicem rami, allatae differentiae causam fortassis explanat.

(3) *Morisia hypogaea.* Enata e seminibus lectis a cl: MORISIO in Sardiniae pratis, luxurioriosissime floruit, fructusque gessit, ex quibus confestim haesi, an genus distinctum ab *Erucaria* GAERTN: constitueret. Dubitationem primus sustulit cl: *I.* GAY insignis Parisiensis Botanicus, dum comiter misit accuratissimam descriptionem novi generis, quod in honorem laudati MORISII merito erexit. Nil appositius quam hic descriptionem ipsam exhibere.
« *Calyx* erectiusculus, sepalis 2. oppositis basi gibbosis. *Petala* spathulata, emarginata. *Filamenta* libera, edentula. *Glan-*
» *dulae* hypogynae 4. filiformes, elongatae; una inter ovarium et singulum brevius filamentum; una singulo longiorum fila-
» mentorum pari interposita. *Silicula* biarticulata; inferior articulus depressus, polyspermus, bilocularis, bivalvis, dissepimento
» membranaceo, lanceolato, valvis tardius solubilibus, coriaceis, nunc navicularibus, nunc acute carinatis; superior longe mi-
» nor, ovoideus, monospermus, indehiscens, in stylum subulatum attenuatus. *Stigma* capitatum. *Semina* in inferiore articulo ho-
» rizontalia vel subpendula, in superiore erecta; *cotyledones* incumbentes, ovato-oblongae, obtusae, altera utrinque plana;
» illinc convexa. *Herba* annua, acaulis. *Folia* multa, in rosulam expansa, interrupte pinnatisecta, lyrata, hispidula, pilis
» omnibus simplicibus. *Pedunculi* plures, radicales, erecti, uniflori, ebracteati, peracta anthesi reflexi, ovarium in terra defi-
» gentes. *Sepala petalaque* flava, decidua. *Silicula* hypogaea in summo denudato pedunculo reflexa, hispidula, articulo infe-
» riore 6-18-spermo. *Semina* non mucilaginosa,

Digitized by Google

M

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
—	—	—	—

499 Muscari
Hex: monog: Asph:
2 botryoides . . . . . *Mill:* dict. n. 1. = *Lobic:* 108. = *Red:* Il: t. 361. = Ital: Persia F.D. per: 2. bulb: Apr:-Maj:
sub *Hyacintho* . . . . . *W.* sp: II. 170. n. 12.
3 maritimus . . . . . *Desf:* Atl: I. 388. = ? = . . . Numid: . . . F.D. id. . . . . id.
sub *Hyacintho* . . . . . *Pers:* syn: I. 375. n. 9.

N

898 Nauenbergia
Sing: segr: Eupatoriae
1 trinervata . . . . . *W.* sp: III. 2393. = *Spr:* in *Schrad:* 2. t. 5. Amer: merid: . T. ann: . . Jul:-Aug:
Flaveria repanda . . . . . *Spr:* syst: III. 500. ex *Lag:*
899 Nepeta
Dydin: gymn: Lab:
1 graveolens . . . . . *Vill:* Daup: 2. 366. = *Bar:* ic: 735. = (1) Indig: . . . . D. per: 2. . Jun:-Jul
N. Nepetella . . . . . *All:* Pedem: 34. ett. 2. f. 1. non *Lin:*

« *Obs:* 1. Anchonieis Candollianis, tribui minime naturali, accensenda est *Morisia*. Differt autem ab *Anchonio* et *Sterigmate* herba pilosiuscula non stellato-tomentosa, staminibus liberis, fructu siliculoso dehiscente, stigmate capitato non bilobo etc. A *Goldbachia* recedit silicula secundum longitudinem dehiscente, articulo inferiore poly-non-monospermo, seminibus in articulo superiore certo erectis, non in utroque pendulis, etc.

» Ab omnibus Raphaneis facile dignoscitur cotyledonibus planis, non conduplicatis. Differt praeterea a *Rapistro* silicula depressa (non cylindracea aut compressiuscula), et articulo inferiore numquam abortiente, poly-non mono-aut aspermo.

« Gaertneri *Erucaria* longe etiam a *Morisia* distat floribus violaceis glandulis hypogynis obsoletis, silicula teretiuscula, et cotyledonibus longissimis, versus radiculam replicatis, altero alteri cruciatim incumbente.

« Habitus denique omnino proprius et uni forte *Mathiolae acauli* DC. quam ego non vidi, aequiparandus.

Obs: 2. Novum et insigne hocce genus dixi in honorem Josephi Hyacinthi Moris, M. D. in regio Caralitano Athenaeo Clinices Professoris, qui primus in Sardinia signa botanica fixit, jussu regio insulam longe lateque peragravit, et stirpium Sardoarum elenchum ditissimum edidit. Laus illi qui obscuram h$\frac{u}{m}$c, nostri aevi quasi remotam Thulen, historiae naturali demum vindicavit, et feracissimis addidit.

UNICA SPECIES.

« *Morisia hypogaea* Gay.
« *Sisymbrium monanthos*. Viv: Fl: Libye. specim: (1824) p. 68.
» *Erucaria hypogaea*. Viv: Fl: Cors: Prodr: (1824) p. 11.; App: (1825) p. 3. ic: Spreng. syst: veget: II. (1825) p. 916.
» Moris stirp: sard: elench: fasc: I. (1827) p. 4.
« *Rapistrum hypogaeum*. Dum: Bot: Gall: I. (1828) p. 54.
« Habitat in humidiusculis, ad septentrionem inclinatis collibus circa Bonifacium, nec alibi in Corsica (*Seraphino* in litt:), » et in pratis Sardiniae mediae (Moris). Floret Martio, Aprili. ⊙

(1) *Nepeta graveolens*. Haec est planta a cl: Allionio nostro descripta et depicta sub nomine *N. Nepetellae* (l. c.). Jam nota-

Digitized by Google

N

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
—	—	—	—

900 Nesaea *Commers:*
Dodec: monog: Lythrar:
1 salicifolia . . . . . *H.* et *B.* nov: gen: 6. p. 192. . N. Hispania . . F. suf: 2. . Aug:-Sept:
sub *Heimia* . . . . . *Link:* abb: ber: 63. t. 28.
Ginoria flava . . . . . Fl:nex:ic:ined:sec:*DC:*Pr:III.89.n.1.

O

513 Ocymum
Dydin: gymn: Lab:
3 Zeylanicum (1) . . . . . *Desf:* sec: *Steud:*? = ? = . . . Ind: orient: . . . T. suf: 2. vir: . Jul:-Aug:
O. gratissimum? . . . . . *W.*sp:III.160.5.=*Jacq:ic:*13.t.495=
514 Oenothera
Oct: monog: Onagr:
4 Romanzovii . . . . . *Ledeb.*in *Horn:*supp:p.133=*Bot reg:*t.662= Amer:bor: D. per: 2.. . Jun:-Jul:
515 Olea
Diand: monog: Jasm:
6 glandulosa? (2) . . . . . *Cels:* catal: 1828. p. 29 = ? = ? . . . . . F. suf: vir: . nond: flor:

---

verat W. (Sp. III. 53. n. 11 in obs:) a *N. Nepetella* L. diversissimam videri, et forse novam esse hujus generis speciem. Villarsii observationes id confirmarunt; et nova species sistit in codicibus botanicis. (Pass: syn: II 115 n. 13. Spr: syst: II. 728 n. 11.). Attamen an illa sit eadem ac *N. angustifolia minor*, cujus iconem hab mus penes Barrelierum (n. 293. ic: 735.) ceu judicavit Pers:onius, valde dubito ex collatione laudatae iconis cum Allioniana, quamquam utraeque mancae ad indicandas veras differentias a Villarsio detectas, scilicet cymarum forma, et calycis superficies; illa *secunda* in *N. graveolente*, *racemosa* in *N. Nepetella*; haec *villosa* in priori, *nuda* in altera. Consule insuper observationes cl: Gussone in *plant: rar:* p. 230, ubi insignem varietatem hujusce stirpis nomine *glabratae* in subalpinis montibus Aprutii detectam constituit. Dolendum tantummodo eximium auctorem iconem de ea non praebuisse inter tot tantasque peroptimas, quae hoc nuperrimum praeclarumque opus illustrant.

(1) *Ocymum Zeylanicum.* An ad *O. Zeylanicum* Burmanii (*Zeyl:* 174. t. 80. f. 1.) idem ac *O. gratissimum* L. vel ad *O. Zeylanicum* Desr: pertineat valde dubito; immo haereo an haec speciem a priori distinctam constituat, vel potius varietatem illam a Lam: memoratam (Diet. I. 382. n. 15. *β*), nec ab aliis auctoribus, ut sciam, enumeratam. Laudatae icones Burmanii et Jacquinii plantam meam quodammodo exhibent; in individuis viventibus autem parvi momenti differentias notavi, scilicet in *O. gratissimo* folia sunt paullulo *majora* ac superne *albidiora*, spicae post anthesim *longiores*.

(2) *Olea glandulosa* Culta ab Hortulanis gallicis sub hoc nomine nescio an a Botanicis descripta vel saltem enumerata fuerit; flores huc usque non obtinui; caeterum sequentes ostendit characteres *Frutex* in Ir: 1-2-pedalis. *Caulis* fruticosus, erectus, basi sub-anceps demum teres, cortice griseo minutissime glanduloso-punctato, ramosus. *Rami* oppositi, subvirgati. *Folia* opposita, distantia, patentia, petiolata, lanceolato-ovata, acuminata, integerrima, glabra, nervosa, nervis transversalibus utrinque basi glandulosis, reticulato-venosa, papulosa punctis lente tantum conspicuis, 2-poll. longa 1-lata, plana, persistentia. *Petioli* lineares, 3-4 lin: longi, canaliculati An eadem ac *O. glandulifera*, cujus phrasis extat penes Desr: in cat: H: Par: ed: 3. p. 391? Sed ab ipso etiam flores desiderantur.

Digitized by Google

O

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
519 ORIGANUM			
Dydin: gymn: Lab:			
3 micranthum (1)	*Hortul:* ? = ? = ... ?	. . . . . F.	per: 2. . Jun:-Aug:
901 OVEA ?			
1 longifolia (2)	*Hortul:* ? = ? = ... ?	. . . . . F.	suf: 1. vir: nond: flor:

P

531 PALLASIA			
Syng: sup: Corymb:			
2 halimifolia	*W.* sp: III. 2260 = *Cav: ic:* I. *t.* 61 =	Mexic: Peru: . .	F. suff: 2. . Jun:-Jul:
Encelia canescens	*Cav:* l. c. p. 45.		
533 PANCRATIUM			
Hex: monog: Narc:			
5 speciosum	*W.* sp: II. 44 = *Salisb: act: Lond:* 2. *t.* 12 =	Ind: occid: . .	T. per: 2. bulb: nond: flor:
902 PANICUM			
Tr: and: dig: Gram:			
1 plicatum (3)	*Lam:* Dict: IV. 686 = *Jacq: ecl: gram: t.* 1. ? =	Indiis . .	C. per: 2. suff: 2. Sept:-Dec:
543 PELARGONIUM (4)			
Monad: hept: Geran:			
115 augustum †	*DC:* Pr: I. 678. n. 111 = *Andr: ger: c. ic: sec: Sweet* =	C. B. S.	F. suff. 1. vir: Maj:-Sept:

(1) *Origanum micranthum.* Nomen hujusce stirpis penes Botanicos haud invenio : valde affinis videtur *O. vulgari* , cujus forte varietas ; sed differt foliis *crenulatis* nec *integerrimis* angustioribus subtus violaceis ad costam villosiusculis , bracteisque vix calycibus longioribus. Diversa quoque a varietatibus a W. enumeratis (sp: III 135. n. 10.) scilicet ab *americana* bracteis *decoloribus* , ab altera floribus *rubicundis* , non *albis*. Caeterum ex phrasi sequenti erui potest an tamquam species distincta admittenda.

β *O.* spicis paniculatis elongatis , bracteis ovatis glabris decoloribus calyces vix superantibus, foliis ovato-oblongis apice angustatis crenulatis subtus violaceis ad costas villosiusculis , caule erecto (florib: rubicundis) . *Nob:*

(2) *Ovea longifolia.* Genus nuperrim · inditum , ac mihi prorsus ignotum : speciem allato nomine missam colo in F. ubi prospere viget ; 2-pedalis facta nondum floruit. *Caulem* interea refert arboreum , erectum, semiteretem versus apicem compressiusculum , glabrum , subramosum ; *folia* opposita , patentia , lanceolato-acuta 3-poll: longa , 1-lata , integerrima , utrinque glaberrima, nervosa , reticulato-venosa , plana , membranacea , persistentia , basi in petiolum 3-4-lineare decurrentia. An eadem ac *Ovea linearis* in cat: Cels: 1828. p. 29. enumerata ?

(3) *Panicum plicatum.* Non confundendum cum *P. plicato* W. (en: 1033. n. 13.) quod el. POIRETIUS (Dict. supp. IV. 284. n. 135.) ad *palmifolium* ejusd m auctoris refert. Consule R. et S. syst. II. p. 428. n. 16 et in emend. p. 882.

(4) *Pelargonium.* Pelargonii species omissae a SPRENG. in *systemate vegetabilium* hic notatae cum †.

Digitized by Google

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
—	—	—	—

543 PELARGONIUM

116 bellulum . . . . . *DC*.l.c.675.n.278=*Sweet:Ger:t.*60= C. B S. . . . F. suff:1.vir: Maj:-Sept:

P. capitatum hybr: . . . . *Spr:* syst: III. 61. n. 152.

117 Colvillii † . . . . . *DC*.l.c.675.n.280=*Sweet:*l.c.t.86= ibid: . . . . F. id. . . . id.

118 crispum *majus* . . . . . *DC*.l.c.677 n.365.*β*=*Herit:ger:t.*33=ibid: . . . . F. id. . . . id.

119 delphinifolium . . . . . *W.* en: 708 = ? = ... ibid: . . . . F. id. . . . id.

120 fastuosum † . . . . . *H. Travers:* = ? = ... ? . . . . . F. id. . nond: flor:

121 grandiflorum *var:* . . . *H. Littae* = ? = ... ? . . . . . F. id. . Maj:-Sept:

122 hibiscifolium † . . . . . *Sweet:* H. britan: p. 79. n. 108.?= ? . . . . . F. id. . nond: flor:

123 ignescens *fertile* . . . . *DC*.l.c.663.n.136.*α*=*Sweet:*l.c.t 2. C. B. S. . . . F. id. . Maj:-Sept:

P. fulgidum hybr: . . . . *Spr:* l. c. 57. n. 101.

124 Legnani † . . . . . *H. Littae* = ? = ... ? . . . . . F. id. . nond:-flor:

125 multiflorum † (1) . . . *Sweet:* H. britan: p. 78. . . . ? . . . . . F. id. . Maj:-Sept:

126 N. Angliae † . . . . . *H. Littae* = ? = ... ? . . . . . F. id. . . . id.

127 Radula *bicolor* † (2). . *H. Littae* = ? = ... ? . . . . . F. id. . . . id.

128 reniforme . . . . . *W.* en: 776 = *Bot: mag:t.* 493 = C. B. S. . . . F. id. . . . id.

129 Royal George † (3) . . *Hortul:* = ? = ... ? . . . . . F. id. . . . id.

130 scintillans . . . . . *DC*.l.c.663.n.155=*Sweet:*l.c.t.28= ? . . . . . F. id. . . . id.

P. fulgidum var: . . . . . *Spr:* l. c. 57. n. 101.

556 PHYLICA

Pent: monog: Rhamn:

4 buxifolia . . . . . *W.*sp:l.1111=*Burm: afr:t.*44.*f.*1= C. B. S. . . . F. suff:2.vir: Apr:-Sept:

558 PHYSALIS

Pent: monog: Sol:

5 pubescens . . . . . *W.*sp:l.1023=*Feuillyerus*3.*p.*5.*t.*1= Indis . . . F. ann: . . Jul:-Aug:

---

(1) *Pelargonium multiflorum.* « *P.* foliis cordato-ovatis obsolete 7-lobis inaequaliter arguto-serratis glabriusculis, stipulis ovatis » acuminatis, umbellis 5-7-floris, tubo nectarifero calyce paullo longiore (Petala albo-rosea venis sanguineis striata). » *Nob:*

Obs: Ad *Pelargonia anisopetala* spectans, ludere videtur inter *P. betulinum* et *lineatum*, quorum forsan varietas, vel hybrida.

(2) *Pelargonium Radula* bicolor. Habitus *Pelargonii Radulae* HERIT: non Rorx: sed planta humilior; umbellae multiflorae glomeratae, flores uti in *P. bicolori*, paullo tamen minores; an ex illis hybris potius quam solius *Radulae* varietas?

(3) *Pelargonium Royal George.* « *P.* foliis subcordato-orbiculatis, crenulatis inaequalibus argute dentatis mucronatis glabriusculis » planis, stipulis ovatis, umbellis 3-5. floris, tubo nectarifero calyce villosissimo triplo breviore (flores magni, petala pur- » purascentia venis sanguineo nigricantibus late striata). *Nob:*

Obs: An venustissima haec planta legitimo nomine tamquam distincta species jam fuerit insignita assevere non ausim; quapropter nomen tantum Hortulanorum indicavi addita phrasi, ex qua praestantiores Botanici noscant quid de illa sentiendum.

Digitized by Google

P

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
558 PHYSALIS			
Ph: edulis (1)	*Sims* bot:mag:t.1068 ex Spr:syst:I.698.n.19.		
Ph: peruviana	*L.* sec: *Spr:* l. c.		
6 Rothiana (2)	*R.* et *S.* syst: IV. 677. n. 20 = ? = ?		F. ann: . . Jul:-Aug:
564 PIPER			
Diand: trig: Piperac:			
10 cuneifolium	*W.* en: 47. n.6 = *Jacq:ic:* II. *t.*214 =	Caracas . . .	C. suff:2.vir: . . id.
11 decumanum	*W.* sp: I. 162 = *Jacq:ic:* II. *t.*215 =	Ind: occid: . .	C. id. . . . . id.
12 inaequalifolium	*Pers:* syn:I.34 n.87 = *Fl:peruv:* I.*t.*460 =	Perù . . .	C. id. . . . . id.
P. aromaticum	*W.* en:supp:sec:*Spr:* syst:I.120.n.201.		
sub *Peperonia*	*R.* et *P.* l. c. p. 30.		
13 N. Hispaniae (3) . . .	*H. Littae* = ? = ...	N. Hispan: ? . .	C. id. . . . . id.
14 pereskiaefolium	*W.* sp: I. 167 = *Jacq: ic:* II. *t.*212 =	Ins: Venezuela .	C. per: 2. . nond: flor:
sub *Peperonia*	*H.* et *B.* nov: gen: I. p. 68.		
15 pulchellum	*W.* sp: I. 169 = *Bot. cab: t.*574 =	Jamaica . . .	C. id. . . . Jun:-Oct:
16 umbellatum (4)	*L.* non *Jacq:* = *Fl:per:* I. *t.*50. *f.*2 =	Indiis	C. suff:2.vir: nond: flor:
569 PLANTAGO			
Tetr: monog: Plant:			
2 divaricata	*Zucc:* obs: bot: cent: I. n.33. = ? =	Italia	D. per: 2. . Aug:-Sept:
Pl: indica ? (5).	*L.* sec: *Spr:* syst: I. 440 n. 87.		

(1) *Physalis edulis.* Non videtur confundenda cum *Ph: eduli* CRAIL: a cl: BALBISIO descripta (Cat: H: Taur: 1813), et jam a me enumerata (H. Ripul: p. 108. n. 3.), quam auctor noster inter *curassavicam* et *tomentosam* collocandam esse putavit; at valde dubium utrum *peruviana* et *pubescens* eandem stirpem constituant sec: SPR: (l. c.); an potius distinguendae sec: W. ex auctoritate praecedentium Botanicorum (W. l. c. n. 10 et 12). Reapse in plantis a me cultis fere nullam differentiam essentialem detexi, folia in *peruviana* non sunt *integerrima*, uti ex phrasi *W.* sed saepius *crenata*, quae nota communis *Ph: pubescenti:* in hac tamen folia acutiora, fere acuminata. Prior tantum in F. perennat, altera prorsus annua. Caeterum consule *R.* et *S.* syst: IV. p. 674 675. n. 12 et 15.

(2) *Physalis Rothiana.* De hac stirpe nulla mentio e SPRENGELIO. Lego tamen in *R.* et *S.* (l. c.) illam inveniri apud *Roth: nov: sp: mss:* sub nomine *Ph: villosae*, quae a SPR: synonima traditur *Ph: barbadensi* (syst: I. 697. n. 13.); at haec prorsus distincta praesertim caule *ramosissimo* ramis *divaricatis*, foliis *acutis*, aliisque notis a *R. S.* appositis (syst: IV. p. 676. n. 17.), quae perfecte quadrant cum speciminibus in herb: hujusce R. Academiae servatis ex BIROLIO. *Ph: Rhotiana* constanter refert caulem simplicem, vel *dichotomum;* folia *subintegerrima* saepius obtusa, vel apice angustata, non reapse *acuta.*

(3) *Piper N Hispaniae.* Provenit ex *H. Littae* hoc nomine sub quo cultum etiam vidi in H. R. Taurin: nec a Botanicis enumeratum. Inter fruticosa foliis nervosis basi cordatis collocandum; affine videtur *P. unguiculato* R. et P. sed folia latiora glabra non *nitida* nec subtus *glaucescentia;* caulis, petiolique evidenter *striati.* Phasis haec erit:

« *P.* caule fruticoso petiolisque glabris striatis, foliis alternis subcordatis apice attenuatis basi subinaequalibus glabris quinquenerviis aveniis, spicis erectis solitariis folia subaequantibus. *Nob:*

(4) *Piper umbellatum.* Non confundenda nostra stirps cum *P. umbellato* JACQ: quod teste SPRENGELIO est *P. sidaefolium* LINN:, quodque differt a priori praesertim foliis prorsus ac utrinque *glabris* non subtus *villosiusculis* (*Spr:* syst: I. 114. n. 116 et 117).

(5) *Pl: indica* L. a cl. SPRENGELIO confusa cum *arenaria* KIT: et *divaricata* ZUCC: valde ab hac differre videtur tum habitu pror-

Digitized by Google

P

Nom: et rect: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
574 PLUMBAGO			
Pent: monog: Plumb:			
5 auriculata	*W.* sp: I. 838 = ? = . . .	Ind: orient: . .	T. suf: 2. . Jun:-Sept:
576 PODALYRIA			
Dec: monog. Legum:			
3 styracifolia	*DC.*Pr:II.102 ex *Sims:=Bot:mag:t.*1580=	C. B. S. .	F. snf:2.vir: . nond: flor:
P. calyptrata	*W.* sp: II. 504? .	} sec:*DC.*l.c.	
Sophora calyptrata . . .	*Retz* obs: I. p. 36. ?		
Hypocalyptus calyptratus .	Thb: fl: cap: 568.?		
592 POTHOS			
Tetr: monog: Aroid:			
4 macrophylla	*W.* sp: I. 686 = *Jacq: ic:* 3. *t.*610=	Ind: occid: . .	C. suf: 1. vir: Aug:-Oct:
5 violacea	*W.* ib: 685 = *Hook: exot: fl: t.*55=	Jamaic: Portoric:	C. suf: 2. vir: . . id.
594 PRIMULA			
Pent: monog: Lysim:			
7 suaveolens	*Bertol:*amaen:p.95=*Fl:Neap:*I.113=	Italia . . .	D. per: 2. . Apr:-Maj:
Pr: Columnae	*Tenor:* fl: Neap: l. c. p. 54.		
600 PSORALEA			
Diad: dec: Legum:			
3 pinnata	*W.*sp:III.1342=*Herm:lugdb:t.*273=	C. B. S. . . .	F. suf: 2. vir: nond: flor:
903 PYTHAGOREA			
Oct: tetrag: inc: Sed:			
1 elegans (1)	*Hortul:* = ? = ... ?		C. suf: 1. vir: . . id.

R

618 RHODODENDRON			
Dec: monog: Rhod:			
7 arboreum	*Smith:* = *Bot: reg: t.* 890 = .	Ind: orient: . .	T. arb: . . nond: flor:
8 catawbiense	*Mich:*fl:bor:I.p.258=*Bot:mag:*1671=	Carol: sept: .	D. suf: 1. vir: Maj:-Jun:

sus nano, cum praesertim 1.° foliis constanter *integerrimis*, margine tantum *ciliatis* nec *hirsutiusculis*, 2-3-*longioribus* subrecurvis divaricatis; 2.° pedunculis folio 2-3-brevioribus, non illud aequantibus; 3.° bracteis spicam fere tegentibus. Consule insuper *R.* et *S.* (*syst:* III. p. 144. n. 101, et p. 148. n. 108.). Sed phrasis Zuccagniana inepta ad indicandas differentias praecipuas; hinc emendanda ut sequitur:

« *Pl:* caule herbaceo hirsutiusculo subramoso nano, foliis oppositis linearibus integerrimis divaricatis subrecurvis margine ciliatis, pedunculis axillaribus erectis foliis brevioribus, spica orbiculata, bracteis foliaceis infimis lineari-lanceolatis patentibus superioribus brevioribus ovato-lanceolatis carinatis oppressis. » *Nob:*

(1) *Pythagorea elegans. Pythagoreae* duo distincta genera habemus; primum a LOUREIRO statutum unam tantum continens speciem, quod sciam, scilicet *P. cochinchinensis* a W. omissa, ac a posterioribus Botanicis fide solummodo Loureiri enumerata nec picta (*Lour:* fl: cochin: I. p. 3. *Poir:* Dict: supp: IV. p. 625. *Spr:* syst: II. p. 261.); alterum a RETZIUSQUE erectum pro non-

Digitized by Google

R

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio*	*Durat: et fructif:*
620 Rhus			
Pent: trig: Tereb:			
7 glabrum	*W.*sp:I.1478=*Dill:elth:t.*243.*f.*314=	Amer: bor:	. D. arb: . . Jun:-Aug:
R. viridiflorum	*Poir:* } sec: *Spr:* I. 936. n. 11. (1)		
R. elegans	*Ait:* . }		
904 Rumia			
Pent: dig: Umbell:			
1 capensis	*Link.* = *Boerh: Lugdb:* I. *t.* 63 =	C. B. S.	. . F.D. an: . . . Jun:-Jul:
Caucalis africana	*Boerh:* l. c. p. 63.		
Conium africanum	*W.* sp: I. 1396.		
Capnophyllum africanum .	*Gaertn:* et *Spr:* syst: I. 901.		
905 Russelia			
Dydin: ang: Scroph:			
1 multiflora	*Spr:*syst:II.811.ex *Sims:*=*Bot:mag:t.*1528=	Mexico .	T. suf: 1. . Jun:-Sept:

S

906 Scævola			
Pent: monog: Lobel:			
1 Koenigii	*W.*sp:I.956=*Lam: ill: t.*124.*f.*2=	Ind: orient: . .	C. suf: 1. vir: nond:-flor:
Sc: Lobelia	*Lin:*hb. }		
Sc: Taccada	*Link:* } sec: *Spr:* syst: I. 752. n. 5.		
Cerbera salutaris	*Lour:* }		
6511 Scilla			
Hex: monog: Asph:			
5 obtusifolia	*Poir:*voy:Barb.II 179=*Desf:*atl:I t.86=	Barbar:Sardin:	F. per: 2. bulb: Apr:-Maj:
6 undulata	*Desf:* l. c. p. 300 = *ibid: t.* 88=	ibid: (2) . . .	F. id. . . . Oct:-Nov:

---

nullis speciebus a *Lythri* genere depulsis (*Rafin:* in journ: phys: 1819. p. 96. *DC.* Pr: III. p. 81.). Planta quam sub nomine *Pythagoreae elegantis* accepi ad *Lythrarias* certe non pertinet : an ad primum genus , an ejusdem species altera? asserere non possum , nam florentem non vidi. Caeterum descriptio Loureiri , quod ad folia non omnimodo quadrare videtur ; in *P. cochinchinensi* sunt subsessilia ovato-lanceolata serrata nervis longitudinalibus rubescentibus ; in *P. eleganti* evidenter petiolata lanceolato-oblonga integerrima vix margine undulata costata pennato-nervosa reticulato-venosa.

(1) *Rhus glabrum* et *elegans* distinctas species constituunt ex Ait: (H. Kew: I. p. 365. 366.); Will: eas servavit praesertim ductus consideratione florum , qui *hermaphroditi* in priori , *dioici* in altero. Cl. *Poir:* tertiam speciem creavit nomine *R. viridiflori* a priori differentem tantum foliolis *subtomentosis* nec *glabris* , racemisque *herbaceis* (*Poir:* Dict: VII. p. 504. n. 8.) Sprengelius tandem omnia conjunxit nulla addita ratione ; an merito peritiores Botanici dicant.

(2) *Scilla obtusifolia* et *undulata*. Hanc , et priorem , quas primo detexerant in Barbaria cll: Poiretius , et Fontainasius , modo invenit in Sardinia Moris:us noster , scilicet *Sc: obtusifoliam* in collibus apricis Calari , et in insula S. Petri , *undulatam* autem in collibus Sardiniae australis (Stirp: Sard: elenc: fasc: I. p. 47.) .

Digitized by Google

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio.*	*Durat: et fructif:*

655 SEMPERVIVUM
Dodec: dodecag: Semperv:
8 ciliatum (1) . . . . . *W.* en: p. 508. in not: = *ic: nostr:* = Teneriffa . . . F. suf: 2. succ: Maj:-Jun:

660 SIDA
Monad: polyand: Malv:
14 aurita . . . . . *Wall:* sec: *DC.* pr: I. 468 = *Bot: mag:* t. 2495 = Bengal: . C. suf: 2. . . Jun:-Jul:
15 graveolens . . . . . *Roxb:* ex *DC.* l. c. 473. n. 181 = ? = Ind: orient: . . C. an: ? . nond: flor:
16 ulmifolia . . . . . *W.* sp: III. 745 = *Cavalliss:* I. 12. f. 4 = S. Domingo . . C. suf: 2. . . Jun:-Jul:

907 SINAPIS
Tetrad: silicul: Cruc:
1 auriculata (2) . . . . . *DC.* pr: I. 218. n. 9 = ? = . ? . . . . . D. an: . . Aug:-Sept:
S. brassicata . . . . . *Lin:* sec: *Spr:* syst: II. 912. n. 5.
S. japonica . . . . . *Thb:* sec: *Spr:* syst: II. 912. n. 5.
2 dissecta (3) . . . . . *Lag:* cat: h. Matr: 1816. p. 20 = ? = Hispania . . . D. id. . . . . id.

670 SOPHORA
Dec. monog: Legum:
5 sericea . . . . . *Andr:* monNutt: = *Bot: rep:* t. 440 = C. B. S. . . . F. suf: 2. vir: nond: flor:
sub *Podalyria* . . . . . *DC.* Prdl. 101 n. 3 = *Bot: mag:* t. 1923 =
sub *Hypocalypto* . . . . . *Thb:* sec: *DC.* l. c.

908 STACHYS
Dydin: gymn: Lab:
1 iberica . . . . . *Marsch:* Fl: Taur: II. 51 = ? = Caucaso . . F. per: 2. . Jun:-Jul:
St: scordifolia . . . . . *W.* en: sec: *Spr:* syst: II. 735. n. 21.
St: scordioides ? . . . . . *Poir:* Dict: VII. 373. n. 21.

---

(1) *Sempervivum ciliatum.* Vid: sup: descript: et icon: n. VII.

(2) *Sinapis auriculata.* Sitrpum hanc improbavit el Spr:, unam eandemque esse ac *S. brassicata* L., et *S. japonica* Th: decernens. De *japonica* sileo quum nec viventem, nec siccam possideam; mea planta tamen prorsus non quadrat cum descriptione THUNBERGII (Fl: jap: p. 262.). At de *S. brassicata* L., praeter auctoritatem cl. CANDOLLEI hanc a sua *auriculata* omnimodo distinguentis (*DC:* l. c. n. 9. et 13.), firmum judicium ferre possum quum eam viventem conferre mihi liceat cum perfectissimo specimine prioris loco natali lecto. Toto caelo differunt inter se; *S. brassicata* folia refert inferiora et caulina lyrato-pinnatifida inaequaliter dentata, summa vix cordato-amplexicaulia, siliquas villosas sub-rostratas rostris arrnatis; in *S. auriculata* folia inferiora sunt vix lyrata, caulina amplexicaulia lanceolata subintegra, summa linearia, omnia basi patenter auriculata; siliquae laeves, evidentius rostratae, rostris suberectis. Inter hanc, et *S. laevigatam* potius maximam video affinitatem.

(3) *Sinapis dissecta.* Binas varietates admittit CANDOLLEUS, siliquis *glabris* et *hispidulis* ß (Prodr: I. 220. n. 30.); nostra enata e seminibus a cl. GUSSONE communicatis ad posteriorem pertinet. Vid: insuper quid de ea sentiat idem auctor in *plant: rar:* p. 280.

Digitized by Google

T

Nom: et rec: synon:	*Auct: et icon:*	*Statio.*	*Durat: et fructif.*
698 TABERNÆMONTANA			
Pent: monog: Apoc:			
3 cymosa	*W.*sp:I.1245=*Jacq:amer:t.*131 *f.*14=	Carthagena . C.	suf: 1. . Jul:-Sept:
T. corymbosa	*Hortul:*		
909 THOMASIA			
Pent: monog: Bittner:			
1 solanacea	*Gay* diss: p. 26 = *ibid: t.* 6 =	N. Holl: . . . F.	suf: 2. vir: Aug:-Oct:
sub *Lasiopetalo*	*Sims* Bot: mag: t. 1486.		
Lasiopetalum triphyllum . .	*Sm:* non *Labill:*		
727 TRIUMFETTA			
Dodec: monog: Tiliac:			
4 oblongata	*Link:*enum:2.p.5=*DC.h.Genev:t.*17=	Nepal: . . . T.	ann: . . Aug:-Sept:
Tr: trichoclada ? (1) . . .	*DC.* sec: *Spr.* II. 451. n. 18.		

V

735 URTICA			
Monoec: tetr: Urtic:			
6 horrida	*H.* et *B.* pl: aequin: II. 41 = ? =	ad fl: mudal: . C.	suf: 2. . Aug:-Sept:
910 VITELLARIA ?			
. . . . . ?			
1 pyriformis (2)	*Cels:* cat: 1828. p. 42 = ? =.	? . . . . . C.	suf: ? vir: nond: flor:

X

911 XEROTES R Br:			
Hex: trig: Junc:			
1 longifolia	R. Br: sec: *Spr:* syst: II. 148. n. 15.	Terra Diemen . F.	per: 2. . Maj:-Jun:
sub *Lomandra*	*Labill:* Nov: Holl:I. p.91=*ibid:t.*119=		

Z

762 ZAMIA			
Dioec: polyand: Cycad:			
3 pungens	*W.*sp:IV.845=Till:pis:129. t.45=	C. B. S. Affr: austr: C.	arb: . . nond: flor:

(1) *Triumfetta oblongata*, quam cl. SPRENGELIUS cum *trichoclada* confundit, longe differt testibus cll. LINCKIO (enum: II. p. 5.) et CANDOLLEO (Prodr: I. 507. n. 11. et 12.), foliis 5-*nerviis* non 7-*nerviis* molliter tantum *hirsutis*, nec *hirtis*; stipulis bracteisque vix villosis, quas notas constanter vidi in plantis a me cultis. An autem *T. oblonga* WALLICH (Fl: Nepalens: p.227.), eadem sit ac *T. oblongata* LINK. dubitat CANDOLLEUS; SPR. priorem admittit uti speciem distinctam (syst: IV. cur: post: p. 190.), dum hanc cum *trichoclada* conjungit. Plantam WALLICHII non vidi nec viventem, nec siccam.

(2) *Vitellaria pyriformis*. Genus hoc prorsus mihi ignotum nullibi enumeratum video nisi in Catal: CELSII (l. c); planta vix pedalis facta in calidario meo flores nondum praebuit, nec habitu noscere possum in quanam familia collocanda. *Caulis* est arboreus erectus, teres, laevis, glaber, cortice brunneo; *folia* alterna, erectiuscula, petiolata, elliptica 3-poll: longa, 1-lata, basi in petiolum sub-decurrentia, margine integerrima, apice subemarginata vel acuta, glaberrima, supernè nitida, infernè pallidiora, costata, opposito-nervia, costa nervisque subtus prominulis, reticulato-venosa, plana, coriaceo-membranacea, perennantia; *petiolus* brevissimus semiteres, laevis. Fructificationem desideramus, ut quidquam certi asserere possimus de hoc caeterum rarissimo, ac elegantissimo frutice.

Digitized by Google

OBSERVATIO AD AMARYLLIDEM *album* p. 34.

Missa sub hoc nomine ab horto LITTÆ anno 1828, floruit Majo 1830 in calid; nec *Amaryllidis* characteres ostendit; nam corollae lymbus *duplex regularis*, stamina *aequalia* limbo interno imposita, ex quo ad *Pancratii* genus referenda; an elegans haec stirps jam fuerit descripta valde dubito, hinc sequentem praebeo illustrationem.

Descriptio.

BULBUS subrotundus, tunicatus, cinereo-fuscus. FOLIA lanceolata, basi vaginantia, inferiora brevissima superiora fere pedalia latit. pollicaria, subereeta nonnulla subfalcata, lacte viridia, lucida, apice obtusiuscula. SCAPUS anceps 3-4-lin. latus, ab imo ad spatham folia subaequans. SPATHA 1-flora, herbacea, 4-phylla inaequalis sc. foliola duo *exteriora* opposita, quorum unum corollae tubum subaequans, alterum ejusdem medietatem paullo superans, duo *interiora* exterioribus alterna valde minora, quorum unum vix tertiam tubi partem excedit, alterum ovarium tantum subaequat. COROLLA supera, infundibuliformis, tubulosa: *tubus* semiteres, erectus, 2. pollicaris et ultra, ad faucem paullo incrassatus, 6-costatus, viridis: *limbus* duplex; *exterior* (*Corolla* auctor:) 6-partitus, laciniis lanceolatis 1-poll. longis 4-lin. latis, erectis, apice tandem reflexis, interne albidissimis, externe linea viridiuscula notatis; *interior* (*Nectarium* vel *corona* auctor.) campanulatus, erectus, exteriori paullo brevior, apice 6-lobus, lobis latis apice rotundatis emarginatis ibique brevi denticulatis, externe albidissimus interne a staminum insertione ad imum lineis 6 viridibus prominulis notatus. FILAMENTA aequalia proprie tubi fauce inserta sed limbo interno arctissime adhaerentia, ex quo lineae prominulae emergunt, demum inter ejusdem lobos libera, lineari-subulata, introrsum versa, alba; *antherae* versatiles, 2-loculares ante dehiscentiam filamenta subaequantes, demum marcescentia valde breviores; *pollen* flavum. OVARIUM brevi pedunculatum 3-gonum viride; *stylus* filiformis limbo interiori paullo brevior albus; *stigma* subcapitatum viride. *Capsulam* maturam non vidi. FLOS suavissimum cinnamomi odorem redolens aperitur nocte et durat 3-4-dierum spatio.

OBS. Stirps collocanda in prima sectione (*corona* lobata SPR: syst: II. 45; *Ismene* HERB: in bot: mag: 2683.) inter *P. calathiforme* et *narcissiflorum*.

Differt autem a *calathiformi* RED: foliis *alternatim* sparsis non *distichis*, spatha 4 non 2-phylla, tubo corollae 6-*costato* non 3-*gono*, laciniis apice *glabris* nec *puberulis*, lobis coronae haud *barbatis* nec *reflexis*, germine *brevi-pedunculato* non *sessili*.

Differt quoque a *P. narcissiflori* JACQ: ex descriptione a cl. SCHULTESIO mihi humaniter communicata dum Vol. VIII systematis sub praelo est, foliis scapum *subaequantibus* non brevioribus, *obtusiusculis* nec *acutis*, (monet tamen SCHULTESIUS in litt: iconem apud JACQUINIUM vidisse in qua folia sunt potius *obtusiuscula* quam *acuta*), laciniis *rotundatis* nec *oblongis*.

Caeterum, excepto charactere spathae constanter 1-florae (quod forsan variat in plantis spontaneis), a *P. calathino* KER:, *calathiformi* RED:, et *narcissiflori* JACQ: (quae conjungere satius esset) vix differre notis botanicis planta nostra videtur.

Si speciem distinctam constituit, illam dico in honorem patris filiorumque TAGLIABUE horti LITTÆ sollertissimorum Rectorum.

» *P. Tagliabue* spatha 1-flora 4-phylla inaequali herbacea, foliis lanceolatis obtusiusculis, corollae laciniis » lanceolatis apice reflexis, corona campanulata 6-loba lobis erectis rotundatis emarginatis denticulatis, sta» minibus introrsum versis (Flos magnus albus fragrans). *Nob:* Habit . . . . . .

Taurini, ex Typis Regiis.

Digitized by Google

Teophila Billotti pinx. EUCALYPTUS pulverulenta

Digitized by Google

Digitized by Google

CACTUS Lecchii.

Teophila Billotte pinxit.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREXIA spinosa.

Tecophila Billotte. pinx.

Digitized by Google

Digitized by Google

Theophila Billotte pinx.

SIDA elegans

Digitized by Google

Digitized by Google

Tricophila Billotti pinx. CROCUS Jmperati.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tecophila Billotti pinx. MELALEUCA styphelioides.

Digitized by Google

Digitized by Google

SEMPERVIVUM ciliatum.

Tecophila Billotti pinx.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tecophila Bellotti p.t **CONVOLVULUS retusus.**

Digitized by Google

Digitized by Google

Tecophila Billotti p. **FAROBAEA** **nemorensis.**

Digitized by Google

Digitized by Google

Teophila Billotti pt. NARCISSUS unicolor.

Digitized by Google

Digitized by Google

T. B. pinx.

CASSIA Barrenfieldii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. XII

Tecophila Billotti pinx.

HIBISCUS Jacquini.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google